

DE
LITIS INSTRUMENTIS
QUAE EXSTANT
IN DEMOSTHENIS QUAE FERTUR IN LACRITUM
ET PRIORE ADVERSUS STEPHANUM
ORATIONIBUS


—
SCRIPSIT

IOANNES ERNESTUS KIRCHNER.

HALIS SAXONUM

TYPIS HENDELIIS.

MDCCCLXXXIII.




DE
LITIS INSTRUMENTIS
QUAE EXSTANT
IN DEMOSTHENIS QUAE FERTUR IN LACRITUM
ET PRIORE ADVERSUS STEPHANUM
ORATIONIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES RITE CAPESENDOS UNA CVM
SENTENTIIS CONTROVERSIIS DIE XVI. M. AUGUSTI
A. MDCCCLXXXIII HORA XII PUBLICE
DEFENDET


IOANNES ERNESTUS KIRCHNER,
REVALENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
ERNESTUS SCHOLLMAYER, STUD. PHIL.
MAXIMILIANUS REICHARDT, CAND. IUR.

HALIS SAXONUM
T Y P I S H E N D E L I I S.
MDCCCLXXXIII.



PARENTIBUS SACRUM.



Nulla fere his diebus quaestio, quae pertinet ad cognoscendos oratores Atticos, intricior et magis lubrica est quam quae versatur in diiudicanda auctoritate atque fide litis instrumentorum nonnullis orationibus insertorum. Etenim cum primus Jo. Gust. Droysenius¹ formulas, quae exstant in Demosthenis oratione de corona ficticias esse summo omnium hominum doctorum consensu effecisset cumque hac via munita Fr. Frankius² et A. Westermannus³ idem etiam in aliis orationibus demonstrare conati essent, fuit quidem tempus, cum iam nemini fere de falsa origine litis instrumentorum illorum dubitandum esset. Sed cum rem accuratius consideranti vel per se confitendum esset homines doctos Droysenium subsecutos hoc in negotio factitando mente occupata et opinione praesumpta iusto saepe audacius progressos esse, in primis autem argumenta, quae Westermannus contra auctoritatem testimoniorum omnium ab ipso examinatorum⁴ protulit, nequaquam ita esse comparata, quibus adduceremur ut temere fidem haberemus, titulis interim repertis nonnullas formulas, quae inter oratorum verba leguntur, veras probari effectum est; Kirchhoffius⁵ quidem in titulo ol. 91. 3/402 nomina nonnulla coniuratorum, quae inserta sunt textui Andocidis orationis de mysteriis, exstare ostendit et U. Koehlerus⁶ partem legis formulae, quae legitur

¹ Zeitschrift f. d. Alterthumswiss. 1839. p. 537 sq.

² De legum formulis, quae in Demosthenis Aristocratea reperiuntur. Misenae 1848.

³ De litis instrumentis, quae exstant in Dem. orat. in Midiam. Lips. 1844. — Untersuchungen über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden (in Abhdlg. d. sächs. Ges. phil. hist. Cl. vol. I 1850 p. 1 sq.)

⁴ Prüfung sämmtl. in d. att. Redner eingelegten Zeugenaussagen. (Abhdl. d. sächs. Ges. I. c. p. 61 sq.)

⁵ Jahns Jahrb. vol. 81. p. 238 sq.

⁶ Hermes II, p. 27 sq.

in oratione Demosthenica in Macartatum, inscriptione ol. 89.
4/409 genuinam effici patefecit.

Quorum virorum opera et studio nimirum adducti J. Droy-senius dissertatione Berolinensi¹ populiscita tria, quae inve-niuntur in Andocidis oratione de mysteriis, genuina illa qui-dem sed postea ab homine docto recentioris aetatis addita esse demonstravit et A. Wachholtzius² dissertatione Kiliensi litis instrumentorum in oratione Macartatea germanam auctor-iatem et fidem ostendere conatus est.

Quoniam autem praeter hos viros doctissimos hanc in rem nemo inquisivit neque de legum, decretorum, testi-moniorum formulis, quae in reliquis orationibus exstant, post Westermannii commentationes quidquam in medium prolatum est, ita ut nunc quidem plerisque ac maxime editoribus, qui uncis a textu orationis secluserunt, suppositas illas esse con-stet, fortasse operae pretium erit nonnullarum orationum litis instrumenta, in quae Westermannus tantopere invectus est, denuo examinare.

Atque duarum orationum Demosthenicarum formulas hac in commentatione pertractandas mihi proposui, orationis XXXV, quae est in Lacritum et orationis XLV, quae est prior ad-versus Stephanum.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, pauca de origine harum formularum praemonenda sunt. Qua de re cum Jo. G. Droyenius³ et Wachholtzius⁴, quibus in summa rerum adstipulor, uberius disseruerint, pluribus verbis hoc loco supersedere mihi videor. Ac tribus maxime modis haec litis instrumenta in textum orationis inseri potuisse iudican-dum erit; aut enim ab eo ipso, qui composuit orationem, interposita aut ab homine docto recentioris aetatis, qui in tabulario publico asservata inveniebat, intercalata aut a fal-sario facta et in textum inculcata sunt.

¹ De Demophanti, Patroclidis, Tisameni populiscitis cet. (Bero-lini 1873).

² De litis instrumentis in Demosthenis quae fertur orat. in Macar-tatum. Kiliae 1878.

³ l. c. p. 539 sq.

⁴ l. c. p. 6 sq.

Id quod altero loco posui quodque in populiscita orationis Andocideae de mysteriis quadrare supra aperuimus, ideo in has, quas quaerimus, orationes non cadit quod vix credibile videtur litis instrumenta, quae ad orationes privatas spectant, propagata esse usque ad tempus grammatici cuiusdam, qui sive in usum exercitationum in scholis habendarum sive ad rem illustrandam formulas, quae exciderant, ex tabellis publicis depromeret denuoque textui orationis insereret. Restat igitur aut quod primo aut quod tertio loco posui fieri potuisse, sc. aut manui illius, qui composituit orationem, has formulas tribuendas esse aut a falsario profectas esse.

Cui rei indagandae iam iis quae secuntur operam demus.

PARS PRIOR.

De litis instrumentis in Demosthenis, quae fertur,¹
oratione in Lacritum.

I. De testimoniis.

1. De testimoniis § 14.

Syngrapha perfecta, cuius in extrema parte nomina testium existant:

Μάρτυρες Φορμίων Πειραιεύς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος, Ἡλιόδωρος Πιτθεύς.

iam testimoniis inserta oratoris verba, quibus se ad scribam publicum convertit, ipsaque testimonia secuntur:

Λέγε δὴ καὶ τὰς μαρτυρίας.

ΜΑΡΤΤΡΙΑΙ. Ἀρχενομίδης Ἀρχεδάμαντος Ἀναγυράσιος μαρτυρεῖ συνθήκας παρά ἔαυτῷ καταθέσθαι Ἀνδροκλέα Σφῆττιον, Ναυσικράτην Καρύστιον, Ἀρτέμιωνα, Ἀπολλόδωρον Φασηλίτας, καὶ εἰναι παρά ἔαυτῷ ἔτι κειμένην τὴν συγγραφήν.

Λέγε δὴ καὶ τὴν τῶν παραχγενομένων μαρτυρίαν.

ΜΑΡΤΤΡΙΑ. Θεόδοτος ισοτελής, Χαρίνος Ἐπιχάρους Λευκονοεύς, Φορμίων Κηφισοφῶντος Πειραιεύς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος, Ἡλιόδωρος Πιτθεύς μαρτυροῦσι παρεῖναι, ὅτ' ἐδάνεισεν Ἀνδροκλῆς Ἀπολλόδωρῳ καὶ Ἀρτέμιωνι ἀργυρίου τρισχιλίᾳς δραχμάς, καὶ εἰδέναι τὴν συγγραφὴν καταθεμένους παρὰ Ἀρχενομίδῃ Ἀναγυρασίῳ.

Haec est lectio optimorum librorum, quibus haec instrumenta nobis tradita sunt, codicum F Φ B.

In codice Parisino Σ nihil exstat nisi tria lemmata:
ΣΥΓΓΡΑΦΗ. ΜΑΡΤΤΡΙΑΙ. ΜΑΡΤΤΡΙΑ, etiam adhortationibus illis oratoris inter primum alterumque atque alterum tertiumque omissis.² At quod harum formularum argumentum

¹ Hanc orationem non a Demosthenis manu profectam esse cum alii tum Blassius (Die att. Beredsamkeit III, 1. p. 504 sq.) explanavit.

² vide editionem G. Dindorfi Oxoniensem.

praestantissimo illo libro non exhibetur, ne tanti facias ca-vendum est. Nam si orationem de corona respicimus, in qua formulas omnes, quanquam in codice Σ ceterisque leguntur, factas esse patefactum est sique porro orationem in Macar-tatum contemplamur, cuius litis instrumenta, quamvis non exstent in libris optimis F ΣΦB, genuina esse effectum est, codicum auctoritatem hac in re non nimii ponderis esse con-fitendum erit.

Nec mirum est rem ita se habere nobis iudicandum esse. Nam si modo retinemus formulas illas ob óratore ipso in-sertas esse orationibus¹ et tum demum, cum genuinae vel hac vel illa de causa excidissent, falsarium aliquem speciem antiquitatis affectantem id, quod iam non exstare videret, de suo fingere et ementiri studuisse, facile intellegitur vel optimos libros talibus commentis inanibus inquinari potuisse, cum contra in codicibus ceteroquin minus bonis formulae illae integrae atque incorruptae per decursum saeculorum casu usque ad hanc aetatem propagarentur.

Jam codicum lectione stabilità testimonia accuratius per-pendamus. Orator cum § 9 dixisset: Λέγε τὴν συγγραφὴν, εἴτα τὰς μαρτυρίας, lecta syngrapha verbis: λέγε δὴ καὶ τὰς μαρ-τυρίας se ad scribam convertit. Post haec verba, quanquam unum tantummodo testimonium legitur, scriptum invenimus lemma MAPTTPIAI et haud ita multo post § 14,8.² MAP-TTPIA, cum aut priore tantummodo loco MAPTTPIAI aut utroque loco MAPTTPIA desideremus.

Qua in re non tantopere cum Westermanno offendendum esse existimo, cum quomodo hoc factum sit, non tam difficile sit ad intellegendum. Sine dubio enim prius lemma MAP-TTPIAI ad utrumque spectabat testimonium;³ sed cum tenor legendorum testimoniorum adhortatione illa oratoris (14,1) λέγε — μαρτυρίαν interruptus esset, librarius, quem omnibus

¹ Jo. Gust. Droysen I. c. p. 539.

² Intellegas hic et deinceps numeros exemplaris Turicensis.

³ Accuratius oratori dicendum erat in priore adhortatione illa λέγε δὴ καὶ τὰς μαρτυρίας καὶ πρῶτον τὴν τούτου παρὸ φῆ κείται ἡ συγγραφή, quo magis posterior adhortatio probetur. (cf. § 33.)

locis lemma ad id, quod praecedit, arte accommodare¹ videmus, in sequenti testimonio adposuit **MAPTTPIA**. Non igitur assentior Westermanno voce **MAPTTPIAI** posse significari unum testimonium, in quo complures homines testantes inducuntur; quod si fit, apud Demosthenem semper singularem numerum invenimus.² Lemma **MAPTTPIAI** autem nihil aliud ostendit nisi compluria testimonia deinceps in medium prolatam.³

Qua re ipsa iam ad aliud via nobis munita est, in quo Westermannus haeret. Cum enim § 9 orator verba fecisset: θεούλομαι οὖν — ἀκοῦσαι ύμᾶς — τῶν μαρτύρων τῶν παραγενομένων τῷ δικαιόματι, haud consentaneum esse disputat § 14 non modo eorum testimonium recitari, qui aderant testes τῷ δικαιόματι, sed etiam illius, apud quem deposita erat syngrapha. At cum hac sententia Westermanni, respicientes illud, quod de usu lemmatum **MAPTTPIA** et **MAPTTPIAI** diximus, vel ipsum finem § 9 pugnare confitebimus, ubi ex verbis novissimis λέγε τὴν συγγραφὴν, εἰτα τὰς μαρτυρίας efficitur non unum sed plura testimonia prolatum iri; quod re vera § 14 fieri videmus.

Atque testimoniorum argumentum ipsum perscrutantes, talia ab hominibus talibus affirmari videmus, qualia ad confirmandam fidem syngraphae opus erat. Nam cum, hac de re etiamsi nobis nihil usquam traditum esset, rerum naturae consentaneum esse dicere coacti essemus, de instrumenti auctoritate illos maxime testatos esse, apud quos depositum esset quique adessent cum scriberetur, hoc ipsum Athenis sollemne fuisse alia oratione Demosthenica edocemur. In oratione XXXVI quidem, ubi de fide testamenti agitur, orator se ad scribam his verbis convertit: λαβὲ τῆς δικδήκης τὸ

¹ cf. § 20. Hic quanquam tria exstant testimonia, cum orator dixerit λαβὲ τὴν μαρτυρίαν τῶν συμπλεόντων, lemma invenimus **MAPTPIA**. Idem cadit in lemma testimoniorum § 33, ubi cum codicibus lectionem **MAPTPIA** retineo. Quomodo autem editores § 20 singularem numerum, § 33 pluralem scribant, cum utroque loco compluria testimonia exhibeantur, me non intellegere libere profiteor.

² cf. orat. XLV, 8. 24. 60. 61. XLVI, 21. XLIII, 31. 70.

³ cf. orat. XLIII, 35. 42. XXXV, 33.

ἀντίγραφον καὶ τὴν πρόκλησιν ταύτην καὶ τὰς μαρτυρίας ταυταῖς,
παρ' οἷς αἱ διαδῆκαι κείνται.¹ Ut igitur in orat. XXXV fides
syngraphae, ita in orat. XXXVI testamenti confirmatur et
auctoritate illius, apud quem depositum erat² et provocatione,³
quae locum obtinet testimonii, cum ut videtur nulli re vera
essent, qui, cum testamentum scriberetur, adessent.

Porro, quod Westermanno rursus offensioni est, ne illud
quidem mirum mihi videtur, quod quanquam sub finem syn-
graphae exstant nomina testium, eorundem testimonium rursus
recitatur. Nempe cum in syngrapha tria tantummodo testium
nomina extant, in hoc testimonio quinque memorantur, quo
magis scilicet rei fides et auctoritas firmetur.

Quibus ita disputatis, quae Westermannus commentatus
est, ad nihilum rediguntur, quem cum graviora proferre
nequeat ad minutias atque argutias confugere videmus. Quo-
rum in numero hoc quoque numerandum est quod inter se
pugnare dicit lectionem syngraphae et testimonium Archeno-
midis: qui cum § 14 testetur etiamnunc apud ipsum depo-
sitam esse syngrapham (*παρ' αὗτῷ ἔτι κειμένην*), § 10 iam syn-
grapham ipsam prolatam esse. Quae difficultas, si modo diffi-
cultas appellari potest, nescio an facillime expediatur; quo-
niam enim constat non uno die omnia litis instrumenta in
echinum coniecta esse sed per totum tempus ἀνακρίσεως hoc
fieri sollempne fuisse,⁴ haud dubie actor in initio ἀνακρίσεως
hoc testimonium ab Archenomide petierat, cum syngrapha
etiamtum apud ipsum esset, quam postea demum reliquis
formulis appositam esse existimandum erit.

Denique mihi de nominibus testium pauca addere liceat.
In universum hoc praemoneo, minime me assentiri Wester-
manno, qui omnia testimonia, in quibus testium nominibus
nomen patris pagique non additum est, suppositicia esse
contendit.⁵ Nam ut in titulis publicis Atheniensium tum sim-

¹ vide huius disp. p. 22.

² cf. XLV, 19, ubi argumentum illius testimonii legitur.

³ Argumentum huius provocationis exstat in orat. XLV, 8.

⁴ Meier und Schömann. Der att. Proc. p. 691.

⁵ l. c. p. 63.

plex nomen tum cum additamento nominis patris vel pagi extare videmus, cur mehercule putabimus hoc in iudiciis non factum esse? Immo inde quod tum plenum tum simplex nomen sc. sine significatione patris vel pagi invenimus, mihi apparere videtur instrumenta genuina esse. Nam si manum falsarii, rei iudicialis Atheniensium profecto haud rudis, his in formulis fingendis grassatam esse putabimus, nonne facile illi erat, cum tot nomina excogitasset, etiam reliquis haec additamenta, quae a Westermanno desiderantur, apponere?

Jam si hanc orationem consideramus, omnes fere testes nomine patris atque pagi praeditos esse videmus, paucos pagi tantummodo nomine; simplicia et nuda non posita sunt nomina nisi eorum quorum in orationis ipsius contextu mentio fit;¹ quos non opus erat accuratius unde orti essent definire, cum iis, qui in iudicio essent, satis essent noti. Ceterum hac in re non tam strenue versatos esse Athenienses nomen Phormionis in his ipsis testimonii memoratum docet. Nam cum sub finem syngraphae unicum pagi nomen exstet, in testimonio altero (§ 14) et nomen patris et nomen pagi legimus.

Singula nomina his in testimonii si respicimus, Φορμίων Πειραιεύς bis commemoratur in tabellis rei navalis Atticae;² priore loco in titulo, qui tempori inter ol. 108. 4/345 et ol. 110. 2/341 tribuendus est, vivus inducitur, posteriore ex ol. 113. 4/325 mortuus memoratur. Quodsi reputamus orationem in Lacritum habitam esse circa annum ol. 109. 4 341,³ a vero fortasse non aberrabimus, si hunc Phormionem eundem esse contendemus atque is, de quo apud Demosthenem sermo est.

Θεόδοτος ισοτελής a Demosthene ipso in alia oratione commemoratur, quo loco eum arbitri munere fungi videmus;⁴

¹ nomen Hyblesii §§ 18. 10. 20. 23. 33. 34; Erasiclis §§ 33. 20. 34. Apollodori §§ 7. 10. 12. 14. 20. 23. 24.

² A. Böckh. Urkunden üb. d. Seewesen d. att. Staates. X, d, 41. XIV, e, 173.

³ A. Schäfer. Demosth. u. seine Zeit. III, 2. p. 291.

⁴ XXXIV, 18. καὶ ἡμεῖς ἐπετρέψαμεν Θεοδότῳ ισοτελεῖ.

iam quoniam oratio XXXIV inter annos ol. 112. 4/329 et ol. 113. 2/327 habita est,¹ sine dubio eundem esse censemus, quem in orat. XXXV memoratum invenimus.

'Ηλιόδωρος Ηιτθεύς in inscriptione aetatis Romanae² exstat; qui num ex eadem gente ortus sit atque Demosthenicus ille, sane diiudicari non potest; sed tale quid fieri potuisse quisnam negaverit?

2. De testimoniiis § 20.

ΜΑΡΤΤΡΙΑ.³ Ἐρχσικλῆς μαρτυρεῖ κυβερνᾶν τὴν ναῦν ἣν ὑπερβάντην οὐκέτι οὐκέτι τὸν πλοιόν τοῦ Μενδαίου κεράμικ τετρακόσια πεντήκοντα, καὶ οὐ πλειόν. ἄλλο δὲ μηδὲν ἀγώγημαν ἔχεσθαι ἐν τῷ πλοιόν Απολλόδωρον εἰς τὸν Πόντον.

Ιππίας Ἀθηναίππου Ἀλικαρνασσεὺς μαρτυρεῖ συμπλεῖν ἐν τῇ Τριλησίῳ νηὶ διοπείων τὴν ναῦν, καὶ εἰδέναι Ἀπολλόδωρον τὸν Φασηλίτην ἀγόμενον ἐν τῷ πλοιόν ἐκ Μένδης εἰς τὸν Πόντον οὐκέτι Μενδαίου κεράμικ τετρακόσια πεντήκοντα, ἄλλο δὲ μηδὲν φορτίον.

Πρὸς τοῦδ' ἔξεμαρτύρησεν Ἀρχιάδης Μνησωνίδου Ἀχαρνεὺς, Σώστρατος Φιλίππου Ἐστιαιάθεν, Φιλιάδης Κτησικλέους Συπεταιών, Διονύσιος Δημοκρατίδου Χολλείδης.

De scriptura haec dicenda sunt: V. 13 cum in libris legatur Ἀχράδης (FΦ), ἀχράνδης (νA¹), Ἀρχάδης (b), cum Dindorfio scribendum existimo Ἀρχιάδης, collatis locis apud Dem. XLIV, 2 sq. et in C. I. G. n. 552. Paullo post cum in libris exstet nomen Φιατάδης, cum Saupio reponendum propono Φιλιάδης, comparatis locis Demosthenicis XVII, 4. XVIII, 295 et Polybiano XVII, 14, 3. Porro editores filium illum hominem esse volunt Κτησίου, cum ex § 34, 17 appareat Κτησικλέους⁴ pro Κτησίου ponendum esse; nam utroque loco hominem eundem significari nescio an nemo neget; quomodo autem Κτησίου in textum irrepserit facile intellegemus, si re-

¹ Blass l. c. p. 516.

² C. I. G. N. 185.

³ De lemmate vide huius disp. p. 6 not. 1.

⁴ Κτησικλέους nomen apud Dem. saepius legitur. cf. XXI, 180, LVIII, 19. 20.

putabimus nomina propria saepissime per compendia scribi solita esse.

Jam ad argumentum testimoniorum transeamus. Atque cum in syngrapha facta esset pactio, ut ex oppido Mende quinque milia cadorum vini imponerentur in navem, iam actorne quingentos quidem cados impositos esse contendit (§ 19 οὐδὲ πεντακόσια κεράμια εἰς τὸ πλοῖον ἐνέθεντο), cuius rei testificandae causa testimonia Erasiclis gubernatoris et Hippiae inspectoris navis recitari iubet.

Cui rei id, quod testantur testes, optime respondet; uterque enim affirmat quadringentos quinquaginta cados tantummodo esse impositos, praeterea nihil.

Quod Westermannus disputat de nominibus Erasiclis et Hyblesii, quibus non additum sit notio patris pagique, non est cur denuo refutem, cum hac de re quid sentirem iam in iis, quae antecedunt, satis multa verba mihi fecisse videar.

Testimoniis accedit tertio loco ἔχυχρτυρία, id est testimonium eorum, qui morbo vel itinere impediti erant, quominus ipsi apud iudices testimonium dicerent. Quorum testimonium cum opus esset apud iudices confirmari a quibusdam, qui cum scribebatur aderant,¹ hoc quia hoc loco non fit, West. totam ἔχυχρτυρίαν fictam nulliusque pretii esse contendit. Qua in re facere non possum quin a viro doctissimo dissensiam. Libenter quidem concedam plerumque ἔχυχρτυρίαν ab aliis confirmari apud iudices necesse fuisse remque ita tractatam esse locus in Aeschinis orat. de falsa legatione documento est; legimus quidem § 19: καὶ ὅτι ταῦτ' ἔστιν ἀληθῆ, λαχέ μοι τὰ ψηφίσματα καὶ τὴν ἔχυχρτυρίαν ἀνάγνωθι τὴν Ἀριστοδήμου, καὶ κάλει πρὸς οὓς ἔξεμαρτύρησεν, ἵν' εἰδῶσιν οἱ δικασταί.

Secuntur lemmata:

ΨΗΦΙΣΜΑΤΑ. ΕΚΜΑΡΤΤΡΙΑ. ΜΑΡΤΤΡΙΑ.

Sed hanc ἔχυχρτυρίαν Demosthenicam in oratione Lacritea prorsus alio modo comparatam esse atque illam Aeschineam, in quam maxime verba Isaei supra laudata cadunt, mihi animadvertere liceat. Nam cum haec ἔχυχρτυρία Demosthenica, arte

¹ cf. Is. III,20. Dem. XLVI,6 sq.

coniuncta cum iis quae autecedunt, adiecta sit testimoniiis eorum, qui σὺν τοῖς ἐκμαρτυροῦσιν in una nave vecti erant,¹ ista Aeschinea per se posita, si a nullo confirmabatur, vix veri aliquam speciem prae se ferre potuit. Jam quid de ἐκμαρτυρίᾳ Demosthenica censerem, fortasse intellectum est. Scilicet posita sunt ante ἐκμαρτυρίαν testimonia Erasiclis et Hippiae; qui quoniam una cum iis, quorum ἐκμαρτυρία refertur, iter fecerant, nonne, si modo postulabatur, ad confirmandam ἐκμαρτυρίαν, si quisquam alias, apti erant? Sed quia iudicibus haud ignotum erat Erasiclem et Hippiam una cum illis ἐκμαρτυροῦσιν, qui iam tum deno fortasse itinere impediti non ipsi in iudicium venire possent, per longum tempus navigasse, supervacaneum sane videbatur ἐκμαρτυρίαν a testibus firmari, id est tempus in re terere, quae quin ita se habcret nemini dubium esse poterat. Ceterum per tempus ἀνακρίσεως Hippiae et Erasiclis testimonium ad firmandam ἐκμαρτυρίαν postulatam esse iudicandum erit; quod cum indoli et ingenio iudiciorum Atticorum consentaneum est, tum Schoemannii auctoritate evincitur; ex verbis quidem eius² „... und diese mussten dieselbe (τὴν ἐκμαρτυρίαν) wenn sie zu den Acten gelegt ward, zugleich durch ihr Zeugniss, dass sie wirklich so, wie sie beigebracht worden war, in ihrer Gegenwart abgelegt worden sei, bekräftigen“ hoc colligendum esse videtur.

3. De testimonio § 23.

MARTPIA. Ἀράτος Ἀλικαρνασσεὺς μαρτυρεῖ δικαιῶσαι Ἀπολλοδόρῳ ἔνδεικα μνᾶς ἐπὶ τῇ ἐμπορίᾳ, ἣν ἤγειν ἐν τῇ Τβλησίου νηὶ εἰς τὸν Πόντον, καὶ τοῖς ἐκεῖθεν ἀνταγοροσθεῖσι, καὶ μὲν εἰδέναι αὐτὸν δεδανεισμένον παρὰ Ἀνδροκλέους ἀργύριον οὐ γὰρ ἂν δικαιῶσαι αὐτὸς Ἀπολλοδόρῳ τὸ ἀργύριον.

Contra stipulationem in syngrapha factam Apollodorus et Artemo merces in navem imponendas etiam adulescens-tulo cuidam Arato hypothecae nomine obligarant, quod testimonio commemorato firmari videmus.

Quod cum ordine legitimo recitetur ac ne Westermannus

¹ vide § 19,9. τῶν συμπλεόντων.

² Meier und Schöm. Att. Pr. p. 670.

quidem habeat, quod contra fidem et auctoritatem proferat,
ad extremam testimoniorum seriem transire liceat.

4. De testimoniis §§ 33 et 34.

ΜΑΡΤΤΡΙΑ.¹ Ἀπολλωνίδης Ἀλικαρνασσεὺς μαρτυρεῖ εἰδέναι
δονείσαντα Ἀντίπατρον, Κιτιέα τὸ γένος, χρήματα Τβλησίῳ εἰς
τὸν Πόντον ἐπὶ τῇ νηὶ ἦν Τβλησίος ἐνκυκλήρει, καὶ τῷ ναύλῳ
τῷ εἰς τὸν Πόντον κοινωνεῖν δὲ καὶ αὐτὸν τῆς νεώς Τβλησίῳ,
καὶ συμπλεῖν ἑαυτοῦ οἰκέτας ἐν τῇ νηὶ, καὶ ὅτε διεφθάρη ἡ ναῦς,
παρεῖναι τοὺς οἰκέτας τοὺς ἑαυτοῦ καὶ ἀπαγγέλλειν ἔχυτῷ, καὶ
ὅτι ἡ ναῦς κενὴ διεφθάρη παραπλέουσα εἰς Θεοδοσίαν ἐκ Παντι-
καπαίου.

Ἐρχοικλῆς μαρτυρεῖ συμπλεῖν Τβλησίῳ κυβερνῶν τὴν ναῦν
εἰς τὸν Πόντον, καὶ ὅτε παρέπλει ἡ ναῦς εἰς Θεοδοσίαν ἐκ Παντι-
καπαίου, εἰδέναι κενὴν τὴν ναῦν παραπλέουσαν, καὶ Ἀπολλοδώρου,
αὐτοῦ τοῦ φεύγοντος νυνὶ τὴν δίκην, μὴ εἶναι οἴνον ἐν τῷ πλοίῳ,
ἀλλὰ παράγεσθαι τῶν ἐκ τῆς Θεοδοσίας τινὶ οἴνου Κῷα κεράμια
περὶ ὄγδοηκοντα.

Ἴππιας Ἀθηνίππου Ἀλικαρνασσεὺς μαρτυρεῖ συμπλεῖν Τβλη-
σίῳ διοπεύσων τὴν ναῦν, καὶ ὅτε παρέπλει ἡ ναῦς εἰς Θεοδοσίαν
ἐκ Παντικαπαίου, ἐνθέσθαι Ἀπολλοδώρον εἰς τὴν ναῦν ἔριν
ἀγγεῖον ἐν ἡ δύο καὶ ταρίχους κεράμια ἐνδεκα ἡ δώδεκα καὶ
δέρματ' αἰγεια, δύο δεσμάς ἡ τρεῖς, ἀλλο δ' οὐδέν.

Πρὸς τοῖσδε ἔξεμαρτύρησεν Εὐφίλητος Δαμοτίμου Ἀφιδνᾶς,
Ἴππιας Τιμοξένου Θυμακιτάδης, Σώστρατος Φιλίππου Ἔστικιόθεν,
Ἀρχενομίδης Στράτωνος Θριάσιος, Φιλιάδης Κτησικλέους Συπε-
ταιών.

De scriptura nihil habeo quod moneam nisi quod in fine
primi testimonii et deinceps Θεοδοσίαν, quod cod. Σ § 31,7
et § 32,11 exhibet, legendum censeo. Hanc lectionem cum
editores Turicenses § 31 et § 32 in textum receperint, qua
causa adducti in testimoniosis Θεοδοσίᾳ retinuerint, non intellego.

Lacritus, iam nave Athenas reduce facta interrogatus ab
Androcle, cur pecuniam mutuam sumptam non solverent
fratres, cum respondisset merces in itinere naufragio periisse,
orator primum navem laesam esse nihil ad rem pertinere dis-

¹ De singulari numero lemmatis vide huius disp. p. 6 not. I.

putat, cum alii navem ipsam et portorium hypothecae nomine obligassent, tum autem negat omnino merces in navem impositas esse praeter nonnullas res viles, quae agricolae cuidam Theodosiam transportarentur, cuius rei conprobandae causa testimonia referuntur.

Atque primo testimonio Apollonides Halicarnassensis testatur sibi esse notum Antipatrum Citiensem dedisse pecuniam Hyblesio, se ipsum autem participem esse navis. Quod testimonium ita comparatum est, ut vix quidquam invenias, quod contra auctoritatem moneas. Videmus enim non ipsum Antipatrum testem induci, sed alium hominem de illo testificari, cum falsarius sine dubio Antipatrum ipsum testantem fecisset. Accedit quod nomen Apollonidis Halicarnassensis etiam inscriptione nobis servatum est; legimus enim in titulo sepulcrali¹ Athenis anno huius saeculi sexagesimo reperto: Ἀπολλωνίδης Μενίππου Ἀλικαρνασσεὺς, cui quin quodammodo necessitudo cum Demosthenico intercedat non dubium videtur.

In fronte alterius testimonii Erasiclis nomen testificantis positum est, in fronte tertii Hippiae.² Uterque affirmat, cum veheretur navis Theodosiam, merces Apollodori nullas fuisse in nave praeterquam illas, quae agricolae asportarentur. Quod cum iis, quae in oratione ipsa leguntur, optime congruit; nam cum § 31 scriptum inveniamus fuisse in nave: τάριχός τε καὶ οἶνον Κῷον καὶ ἀλλ' ἀττά, Erasicles contendit octoginta cados vini Coi infuisse, Hippias unum vel duo vasa lana impleta, nonnulla coria caprina, compluria κεφάλια carnis salitae.

Maxime offensioni sunt Westermanno voces § 34,4 Ἀπολλωνίδου, αὐτοῦ τοῦ φεύγοντος νυνὶ τὴν δίκην, cum non in Apollo-dorum sed in Lacritum Androcles invectus sit. Quod quamnam habeat explicationem, iam videamus. Atque quanquam ex § 15 (οἱ μὲν γὰρ ἀδελφοὶ³ οἱ τούτου ἔτι νεώτεροι ἦσαν καὶ

¹ Vide Kumanidis inscr. sep. p. 181 n. 1451. Confer etiam Roehl, Inscr. Gr. antiquissimae, n. 500. Bulletin de correspondence Hellénique V p. 493. IV p. 295.

² Nomen Athenippi Hal., patris illius, exstat in C. I. G. n. 2655.

³ Nam etiam Apollodorum, non solum Artemonem, fratrem fuisse Lacriti et ex hoc ipso loco et ex § 8 (παρὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν αὐτοῦ) et ex § 42 (τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἑαυτοῦ ἐπαιδευσες τὴν παιδείαν ταύτην

μειράκιν παντάπασιν, ούτοσὶ δέ Λάχριτος Φασηλίτης, μέγα πρᾶγμα, Ἰσοκράτους μαθητής) liquet fratres Lacriti Artemonem et Apollodorum tum cum pactio facta erat adulescentulos fuisse et Lacritum maxime (§ 7 πάντα ἔσαπερ ὑπισχυεῖτο καὶ ἀνεδέχετο Λάχριτος ούτοσὶ cf. § 15.) totum negotium egisse, tamen quoniam Lacriti nominis in syngrapha mentio non fit, haud dubie, Apollodorus cum Athenas revertisset, fratre Artemone in intinere mortuo,¹ in primis accusatione petendus erat, quod pecunia promissa non solveretur, — et sane petebatur. Quoniam autem Androcles perspectum habuit non tam ab Apollodoro adulescentulo sperandas esse pecunias quam a fratre illius Lacrito, sophista divite, qui totius negotii machinator versutissimus² ipsi, si modo quid recuperare voluit, utique vincendus erat, in Lacritum maxime invictus est illumque unicum heredem Artemonis esse mentitus est;³ quod rerum verae naturae minime respondet, si quidem secundum leges hereditarias non minus Apollodorus quam Lacritus rerum Artemonis particeps fieri debebat.

Jam unum fortasse quaerat quispiam, cur in testimoniis⁴ Apollodori nomen commemoretur, Artemonis fratri maioris natu, cuius primo loco mentio facienda sit, omittatur. Cuius rei causa satis perspicua in eo posita est quod nomen Artemonis, cum mortuus esset, afferre nihil intererat.

Ceterum addere mihi liceat id ipsum, quod de Artemone in testimoniis sermo non fit, documento mihi videri formulas illas genuinas esse; nam falsarius, qui maxime tenorem ora-

δανείζεσθαι ἐν τῷ ἐμπορίῳ ναυτικὰ γρήματα καὶ ταῦτ ἀποστέρειν καὶ μὴ ἀποδόσθαι) luculentissime appetet (cf. etiam § 31). Ex iis quae affert Blassius (l. c. p. 502 not. 4) sc. ex verbis § 7 Ἀρτέμων τῷ τούτῳ ἀδελφῷ καὶ Ἀπολλοδώρῳ, contrarium mihi non effici videtur. Immo quoniam hoc loco debitores duo tantummodo memorantur Artemo et Apollodorus, § 8 autem illi fratres Lacriti significantur, extra omnem dubitationis aleam positum videtur Apollodorum fratrem fuisse Lacriti. Quod autem in oratione ipsa Artemonis nomen maxime premitur (§§ 15. 16. 30.) id ideo fieri puto quod ille frater maior natu fuit. Accedit quod maxime interfuit oratoris, cum Lacritum unicum heredem finxisset Artemonis, Apollodori alius fratris nomen quam maxime reticere. Ad totam rem vide A. Schäfer l. c. p. 286. 288.

¹ § 3. ² §§ 22. 28. ³ §§ 4. 44 sq. ⁴ §§ 20, 3. 9. 23, 7. 34, 4. 11.

tionis ipsius respiciens finxisset, aut — quod per se quidem fieri potuit — unius Artemonis aut utriusque nomina et Artemonis et Apollodori posuisset.

In ἔκμαρτυρίᾳ idem cadit, quod in ἔκμαρτυρίᾳ § 20, de qua supra disputavimus.¹ Ad Sostrati et Philiadis nomina, quae iam ibi reperiuntur, accedunt nomina aliorum trium hominum, quorum ἔκμαρτυρίας fidem iam vel ab Erasicle et Hyblesio vel ab Apollonide ipso firmatam esse cendum erit.²

II. De syngrapha. §§ 10—13.

De argumento syngraphae accuratius disputavit A. Boeckhius³ neque habeo quod huius commentationi addam. Sed cum A. Schaeferus,⁴ quamquam Westermannus tantummodo testimonia huius orationis facta esse demonstrare conatus est, nullis argumentis allatis etiam syngrapham et legis formulam, de qua postea disputaturi sumus, suppositas esse contendat idemque editores, si quidem cancellis has formulas sepsent, censere videantur, facere non poterimus, quin iam in auctoritatem syngraphae paullo accuratius inquiramus.

Atque si interrogamus, quomodo falsarius, si modo finxit, finixerit syngrapham, fortasse respondebimus, quandoquidem multa, quae in syngrapha exstant, in oratione ipsa inveniuntur, magnam partem huius instrumenti ex iis, quae in oratione ipsa commemorantur, reficere illum potuisse. Sed si iam ex oratione ipsa omnes locos, qui ad syngrapham pertinent, deponimus et — quod nos in tabula agglutinata fecimus — syngraphae ipsi rerum ordine servato apponimus, vix tertiam partem eorum, quae in syngrapha scripta sunt, in orationis tenore inesse invenimus. Non enim reperiuntur in oratione ipsa nomina Androclis et Nausicratis,⁵ non quomodo cursus navis, quem in syngrapha accuratissime definiri⁶ videmus, faciendus sit constituitur, non de usurarum magnitudine⁷

¹ vide p. 10. hui. disp.

² vide hui. disp. p. 11.

³ Staatsh. d. Ath. I². p. 187 sq. 193—195.

⁴ l. c. p. 286 sq.

⁵ § 10, 1. 2.

⁶ §§ 10,4. 13,1. ⁷ § 10,6. 8.

sermo est, non totum negotium suscipi periculo creditorum,¹ non denique quidnam potestatis in debitores sit creditoribus pecunia non soluta, determinatur. Haec omnia, quae tam accurate definita sunt, a falsario quodam addita esse, nemo facile unquam sibi persuadeat.


Sed etiam alia de causa me iudice de auctoritate huius formulae non dubitandum est. Etenim ex fragmentis syngraphae, quae in oratione LVI adversus Dionysodorum habita exstant, colligere possumus, si cum syngrapha orat. XXXV comparationem instituimus, in talibus formulis sollemnem quandam popriumque sermonem fuisse. Quod quo melius intellegatur, fragmenta syngraphae orat LVI et — si quis forte his parum fidei tribuat — verba, quae ad syngrapham spectant, ex oratione ipsa exscripta syngraphae orat. XXXV apposuimus. Ad rem facilius explicandum, syngrapham orat. XXXV littera a, quae ad syngrapham pertinent ex oratione ipsa petita littera b, eademque eodem modo in oratione LVI litteris α et β significavimus. Iam comparatione facta, in columna β , cui utique fides habenda est, insunt quae eadem ratione comparata etiam in columna a reperiuntur, non reperiuntur in columna b, ex qua, si modo syngrapha fingebar, falsario delibandum esse vidimus.

Atque hos maxime locos, ex columnis a et β petitos, hanc ad rem efficiendam inter se opponere mihi liceat:

a	β
§ 10,5 sq. σωθέντων δὲ τῶν χρημάτων 'Αθηναῖς	§ 22. (cf. § 31. § 39. - XXXIV, 33) σωθείσης τῆς νεώς . . . εἰς τὸν Πειραιᾶ. ²
§ 12,1. ἔαν δὲ μὴ ἀποδῶσιν . . .	§ 38. ἀλλ' ἔαν μὴ ἀποδιδῷ . . .
§ 12,6. Κατὰ Ἀρτέμιωνος καὶ 'Απολλοδόρου ἔστω ἡ πρᾶξις τοῖς δανείσκοις καὶ ἐκ τῶν τούτων ἀ- πάντων.	§ 45. τὴν δὲ πρᾶξιν εἶναι καὶ ἔξ ενὸς καὶ ἔξ ἀμφοῖν.

¹ §§ 11,5. 13,5.

² cf. Bek. Anecd. p. 283, 9 sq. ναυτικὴ συγγραφή: ναυτικὸν δάνεισμα, ὃ ποιεῖται τις ἐπὶ ὑποθήκῃ τῆς νεώς, ἔαν ἄρα σωθείη.



a.

Syngrapha in orat. XXXV, §§ 10—13.

ΣΥΓΓΡΑΦΗ. Ἐδάνεισαν Ἀνδροκλῆς Σφῆττιος καὶ Ναυσικάτης Καρύστιος Ἀρτέμιων καὶ Ἀπόλλοδώρῳ Φασηλίταις δραχμὰς ἀργυρίου τρισχιλίας Ἀθήνηθεν εἰς Μένδην ἡ Σκιώνην, καὶ ἐντεῦθεν εἰς Βόσπορον, ἐὰν δὲ βούλωνται, τῆς ἐπ' ἀριστερὰ μέρῃ Βορυσθένεις καὶ πάλιν Ἀθήναζε, ἐπὶ διακοσίαις εἴκοσι πέντε τὰς γιλίας ἐὰν δὲ μετ' Ἀρκτοῦν ρέαν πέλευσαν ἐκ τοῦ πόντου ἐφ' Ιερὸν, ἐπὶ τριακοσίαις τὰς γιλίας, ἐπὶ οὐνού κεραμίαις; Μενδαῖοις τρισχιλίους, ὃς πλευσεῖται ἐκ Μένδης ἡ Σκιώνης ἐν τῇ εἰκοσόρῳ ἡν Ὑβρίζουσις ναυκληρεῖς ὑποτιθέασι δὲ ταῦτα, οὐκ ὑφείλοντες ἐπὶ τούτοις ἀλλιῷ οὐδὲν οὐδὲν ἀργύριον, οὐδὲ ἐπιδανείσονται, καὶ ἀπάξουσι τὰ χρήματα τὰ ἐκ τοῦ Πόντου ἀντιφορισθέντα πάλιν Ἀθήναζε ἐν τῷ αὐτῷ πλοιῷ ἀπάντα· σωθέντων δὲ τῶν γρηγάτων Ἀθήναζε ἀποδώσουσιν οἱ δανείζουσιν τοῖς δανείσασι τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν ἡμερῶν εἴκοσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἐλθωσιν Ἀθήναζε, ἐντελές πλὴν ἐκβολῆς, ἥν ἂν οἱ σύμπλοι ψηφισθέμενοι κοινῇ ἐκβαλωνται, καὶ ἂν τι πολεμίοις ἀποτίσωσιν· τῶν δ' ἀλλων ἀπάντων ἐντελές, καὶ παρεξουσι τοῖς δανείσασι τὴν ὑποιθήκην ἀντίφαφον κρατεῖν, ἔως ἂν ἀποδῶσι τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν. ἐάν δὲ μὴ ἀποδῶσιν ἐν τῷ συγκειμένῳ χρόνῳ, τὰ ὑποκείμενα τοῖς δανείσασιν εἴξεστον ὑποθέναι καὶ ἀποδέσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς, καὶ εάν τι ἐλλείπῃ τοῦ ἀργύριου, ὃ διὶ γενέσθαι τοῖς δανείσασι κατὰ τὴν συγγραφὴν, κατὰ Ἀρτέμιωνος καὶ Ἀπολλοδώρου ἔστω ἡ πρᾶξις τοῖς δανείσασι καὶ ἐκ τῶν τούτων ἀπάντων, καὶ ἐγγείων καὶ ναυτικῶν, πανταχοῦ ὅπου ἂν ὁσι, καθάπερ δίκην ὀφληκότων καὶ ὑπερημέρων ὄντων, καὶ ἐπὶ ἕκατερῷ τῶν δανείσαντων καὶ ἀμφοτέροις. ἐάν δὲ μὴ εἰσβάλωσι, μείναντες ἐπὶ κυνὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἐλλησπόντῳ, εἴξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σύλλαι ὁσιν Ἀθήναζοις, καὶ ἐντεῦθεν καταπλεύσαντες Ἀθήναζε τοὺς τόκους ἀποδόντων τοὺς πέρυσι γραφέντας εἰς τὴν συγγραφὴν. ἐάν δέ τι ἡ ναῦς πάθῃ ἀνήκεστον, ἐν ᾧ ἂν πλέῃ τὰ χρήματα, σωτηρία δέσται τῶν ὑποκειμένων, τὰ περιγενέμενα κοινὰ εἴστω τοῖς δανείσασιν. κυριώτερον δὲ περὶ τούτων ἀλλο μηδὲν εἴναι τῆς συγγραφῆς.

Μάρτυρες Φορμίων Πειραιεύς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος, Ηλιοδόρος Πιτθεύς.

b.

Quae ad syngr. pertinent ex oratione ipsa exscripta.

§ 18. τὰς τριάκοντα μνᾶς.

§ 50. εἰς τὸν Πόντον ἐδωκα τὰ χρήματα καὶ πάλιν Ἀθήναζε.

§ 18. ἐπ' οἷνου κεραμίοις τρισχιλίοις εἰς τὸν Πόντον ἐν τῇ εἰκοσόρῳ, ἥν Ὑβρίζουσις ἐναυκλήρει. § 21. ὑποτιθέασι δὲ ταῦτ' ἐλευθερα καὶ οὐδὲν οὐδὲν ὀφείλοντες . . . οὐδὲ ἐπιδανείσονται ἐπὶ τούτοις παρ' οὐδενός. § 24. ἐπειδάν ἀποδῶνται ἐν τῷ Πόντῳ χρήματα . . . ἀπάγειν Ἀθήναζε ἀντιφορισθέντα.

§ 24. ἐπειδάν ἀφίκωνται Ἀθήναζε ἀποδοῦναι εἴκοσιν ἡμερῶν τὸ ἀργύριον ἡμέραν δόκιμον.

§ 24. ἔως δ' ἂν ἀποδῶσι κρατεῖν τῶν χρημάτων ἡμᾶς καὶ ἀνέπαφα ταῦτα παρεχεῖν τούτους.

§ 39. ἡ . . συγγραφὴ οὐδὲν κυριώτερον εἶναι τῶν ἐγγεγραμένων.

α.

Fragmenta syngraphae in orat. LVI.

β.

Quae ad syngr. pertinent ex orat. ipsa
exscripta.

§ 36. Ἀθήνηθεν εἰς Αἴγυπτον καὶ ἐξ Αἰγύπτου
Ἀθήναζε.

§ 6. ἐπὶ τῇ νηὶ τρισκιλίᾳς δραχμάς.
§ 36. Ἀθήνηθεν εἰς Αἴγυπτον καὶ ἐξ Αἰγύπτου
Ἀθήναζε

§ 36. σωθείσης δὲ τῆς νεώς εἰς Πειραιᾶ.


§ 31. § 22. σωθείσης δὲ τῆς νεώς εἰς τὸν Πει-
ραιᾶ ἀποδοῦναι τὰ χρήματα (τὸ δάνειον)
cf. Dem XXXIV, 33.

§ 38. εἰὰν δὲ μη παρά-
σχωσι τὰ ὑποκείμενα ἐμφανῆ καὶ ἀνέπαφα, η̄
ποιήσωσι τι παρὰ τὴν συγγραφῆν, ἀποδιδέτωσαν
διπλάσια τὰ χρήματα.

§ 38. ἂλλ’ εἰὰν μὴ ἀποδιδῷς τὸ δάνειον καὶ τοὺς
τόκους η̄ μὴ παράσχῃς τὰ ὑποκείμενα ἐμφανῆ
καὶ ἀνέπαφα η̄ ἄλλο τι παρὰ τὴν συγγραφῆν
ποιῆσι, ἀποτίνειν κελεύει σε διπλάσια τὰ χρήματα.

§ 45. τὴν δὲ πρᾶξιν εῖναι καὶ ἐξ ἑνὸς καὶ ἐξ
ἀμφού.

§ 41. . . τὸ σὸν πρόσταγμα δέον τῆς συγγραφῆς
κυριώτερον γενέσθαι.



Iam intellegis vel ex paucis illis locis inter se conspirantibus syngrapham orat. XXXV prorsus scribendi rationi, quae tum in talibus formulis componendis Athenis in usu fuisse videtur, consentaneam esse.

Itaque de auctoritate eius iam non dubitemus; gaudeamus potius nobis si minus plane integrum,¹ certe magna ex parte integrum servatam esse formulam talem, qua nobis subsidium haud sernendum ad institutionem antiquitatis graecae cognoscendam praebetur.

III. De lege § 51.

ΝΟΜΟΣ. Ἀργύριον δὲ μὴ ἔξεναι ἐκδοῦναι Ἀθηναίων καὶ τῶν μετοίκων τῶν Ἀθήνησι μετοικούντων μηδὲν, μηδὲ ὃν οὔτοι κύριοι εἰσιν², εἰς ναῦν ἥτις ἀν μὴ μέλλῃ ἀξεῖν σῖτον Ἀθήναζε³, ἔαν δέ τις ἐκδῷ παρὰ ταῦτ', εἴναι τὴν φάσιν καὶ τὴν ἀπογραφὴν τοῦ ἀργυρίου πρὸς τοὺς ἐπιμελητάς, καθὰ περὶ τῆς νεώς καὶ τοῦ σίτου εἰρηται, κατὰ ταῦτα. καὶ δίκη αὐτῷ μὴ ἔστω περὶ τοῦ ἀργυρίου, ὃ ἀν ἐκδῷ ἄλλοσέ ποι ἡ Ἀθήναζε, μηδὲ ἀρχὴ εἰσαγέτω περὶ τούτου μηδεμία.

En partem legis illius, qua Atheniensibus interdictum erat, ne in alia emporia nisi in ipsorum frumentum importarent neve cuiquam pecuniam collocarent nomine navis, quae non Athenas rursus esset redditura. Dico partem; nam posterius tantummodo, quod maxime ad oratoris verba antecedentia spectat, recitari videmus.⁴ Totam autem legem ita comparatam fuisse puto, ut primum interdiceretur, ne quis Atheniensium nisi in Athenarum emporium frumentum invehernet, quod et ex oratoris verbis⁵ et ex particula δέ (ἀργύριον δέ), indicante iam aliam condicionem aliquam antecessisse elucet, deinde

¹ Vide Büchsenschütz, Besitz und Erwerb im gr. Alt. p. 486, sq.

² = μηδέ τινι τούτων, ὃν οὔτοι (sc. Ἀθηναῖοι vel μετοίκοι) κύριοι εἰσιν. cf. ed. Dem. G. H. Schaeferi.

³ Recte Reiskius verba post Ἀθήναζε, quae in libris leguntur καὶ τὰλλα τὰ γεγραμμένα περὶ ἑκάστου αὐτῶν non ad legem pertinere, sed oratori tribuenda esse intellexit.

⁴ vide quod U. Koehlerus hac de re disputavit. (Hermes II p. 31.)

⁵ § 50. τὸν νόμον ὡς χαλεπός ἐστιν, ἔαν τις Ἀθηναίων ἄλλοσέ ποι αιτηγήσῃ ἡ Ἀθήναζε. cf. Lycurg. Leocr. § 27.

verba sequerentur inde ab ἀργύριον — Ἀθήναζε, tum post adhortationem oratoris insertam indicaretur, quidnam supplicii de eo sumendum esset, qui contra priorem legem ficeret,¹ quod denique verbis inde ab ἐὰν δὲ — μηδεμίᾳ exciperetur.

Iam si de auctoritate legis quaerimus, neque contra sermonem neque contra res ipsas est quod moneamus.

Sermo plane respondet sermoni legum Solonis, quae in oratione in Macartatum exstant.² Ad verba in fronte legis posita: ἀργύριον δὲ μὴ ἔξεῖναι ἐκδοῦναι conferenda sunt verba legis in orat. XLIII, 62, 10: γυναῖκα δὲ μὴ ἔξεῖναι εἰσιέναι; ad verba: εἴναι . . . πρὸς τοὺς ἐπιμελητάς conferenda in orat. XLIII, 71, 13: τὰς δὲ δίκις εἴναι περὶ τούτων πρὸς τοὺς ἄρχοντας; ad verba: μηδὲ ἀρχὴ εἰσαγέτω περὶ τούτου μηδεμίᾳ in orat. LXIII, 75, 14 verba: εἰσαγαγέτω εἰς τὴν ἡλιαίαν (sc. ὁ ἄρχων).³

Quod attinet ad argumentum ipsum legis, res, quas terminari videmus, prorsus rerum naturae accomodatas esse ex orat. Dem. LVIII in Theocrinem habita discimus: In qua cum ostendatur, Theocrinem Miconi cuidam φάσιν intendisse (§ 9 αὐτὸν τὸν Μίκωνα, οὐ ἔφη τὸ πλοῖον), quoniam non in Athenarum emporium frumentum⁴ importavisset (§ 12) remque apud τοὺς ἐπιμελητὰς τὸ ἐμπορίου actam esse apertis verbis indicetur (§ 8 ταύτην τὴν φάσιν, ὡς ἀνδρες δικασταί, ἔδικτοι μὲν οὗτοι (Θεοκρ.) προσκαλεσάμενος τὸν Μίκωνα, ἔλαβε δ' ὁ γραμματεὺς ὁ τῶν τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελετῶν, Εὐθύφημος), haec in verba legis optime quadrant. Nam non minus illis, qui in aliud emporium atque Atheniensium frumentum asportarent, quam illis, qui pecuniam mutuam darent, φάσιν intendi sollempne fuisse, ex verbis

¹ Inter adhortationem illam et voces ἐὰν δέ τις . . . intercalandum esse aliquid et ex oratoris verbis § 51, 7 περὶ ἐκάστου αὐτῶν et ex legis ipsius formula § 51, 10 καθα περὶ τῆς νεώς καὶ τοῦ σίτου εἰρηται efficitur. Quanam re commotus G. H. Schaeferus (l. c.) τὰ γεγραμμένα ad syngrapham referat, mihi non liquet.

² A. Wachholtz, l. c. p. 20 sq.

³ vide etiam or. XXXV, 48. ἀλλ' ὁ πολέμαρχος εἰσάξει,

⁴ De frumento agi non in oratione ipsa pronunciatur, sed ex toto rerum connexu veri simillimum est. vide Hypoth. 4. sq. et A. Schaefer l. c. p. 269.

iam supra commemoratis: καθά περὶ τῆς νεώς καὶ τοῦ σίτου εἴρηται κατὰ ταῦτα efficitur.

Denique mihi addere liceat hanc formulam hac in oratione non solum libris FΦB sed etiam codice Σ exhiberi. Quod ad auctoritatem fulciendam ne permagni momenti esse existimaremus magnopere cavendum esse cum supra explana- verimus, alio loco, cur reliquis omissis hoc unum instrumentum in textu cod. Σ retentum esse censeamus, aperiemus.

PARS POSTERIOR.

De litis instrumentis in Demosthenis¹ oratione priore adversus Stephanum.

I. De testimoniis.

i. De testimonio § 8.

ΜΑΡΤΥΡΙΑ. Στέφανος Μενεκλέους Ἀχαρνεύς, Ἐνδιος Επιγένους Λαμπτρεύς, Σκύθης Ἀρματέως Κυδαθηναίεὺς μαρτυροῦσι παρεῖναι πρὸς τῷ διαιτητῇ Τεισίχ Ἀχαρνεῖ, βότε προσκαλεῖτο Φορμίων Ἀπολλόδωρον, εἰ μή φησιν ἀντίγραφα εἶναι τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωνος τὸ γραμματεῖον, ὃ ἐνεβάλετο Φορμίων εἰς τὸν ἔχον, ἀνοίγειν τὰς διαθήκας τὰς Πασίωνος, ἃς παρείχετο πρὸς τὸν διαιτητὴν Ἀμφίας ὁ Κηφισοφῶντος κηδεστής. Απολλόδωρον δὲ οὐκ ἐθέλειν ἀνοίγειν εἶναι δέ τάδ' ἀντίγραφα τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωρος.

De huius instrumenti scriptura, quae, sicut in sequentes huius orationis formulae, iisdem libris supra commemoratis FΦB nititur, haec monenda sunt. V. 4 cum in editionibus Τεισίχ exstet, Τεισίχ, sc. per diptongum in syllaba priore, rescribendum propono, si quidem hanc optimam scribendi rationem huius et ab eodem stirpe derivatorum nominum fuisse titulis evincitur.² Porro v. 10 cum libris exhibeatur

1 Hanc orationem Demostheni re vera tribuendam esse, Blassius l. c. p. 412 sq. facile mihi persuasit.

2 cf. C. I. A. II, 1, 371 v. 7. — C. I. G. 1082; add. 1925 n; 2108 g; 2266 A. v. 30.

εῖναι δὲ τὰ ἀντίγραφα, quod sensu cassum est, cum Saupio reponendum censeo εῖναι δὲ τάδ' ἀντίγραφα, collatis similibus verbis in hypotheseos v. 9 ἔστι δὲ ἀντίγραφα τάδε τῶν διαθηκῶν.

Atque argumentum huius testimonii idem est, de quo in oratione XXXVI¹ sermo est. Ubi cum mentio fiat testamenti Pasionis, orator se ad scribam publicum convertit verbis: λαβὲ τῆς διαθήκης τὸ ἀντίγραφον καὶ τὴν πρόκλησιν ταύτην καὶ τὰς μαρτυρίας ταυτασί, παρ' οἷς αἱ διαθῆκαι κεῖνται.²

Secuntur lemmata:

ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ. ΠΡΟΚΛΗΣΙΣ. ΜΑΡΤΥΡΙΑΙ.

Quorum testimoniorum argumentum ipsum, quamquam in orat. XXXVI non commemoratur, tamen rerum connexum spectantibus, testimonia orat. XLV §§ 8 et 19 exhibita in numero eorum fuisse iudicandum erit, quorum lemma ΜΑΡΤΥΡΙΑΙ nobis orat. XXXVI traditum est. Hoc vel inde appareat quod adversus orat. XXXVI habita est orat. XLV, in qua a Stephano falsum testimonium prolatum esse orator contendit.³

Iam si de auctoritate huius testimonii quaestionem movemus, quoniam post Westermannī⁴ atrocem impetum nemo exstitit, qui patrocinium eius susciperet, plura erunt quae accuratius consideranda deliberandaque videantur.

Ac primum quidem testificantur testes adfuisse ipsos apud arbitrum. Apud arbitrum, audio; sed qualis hic arbiter fuit, utrum publicus an privatus? Hoc sane maximi momenti est, cum si privatus fuit, omnes difficultates, in quibus haesitat Westermannus ad nihilum recidant. Ipse West.⁵ ne illud

¹ § 7.

² Non accurate hoc ab oratore expressum est. Nempe ex orat. XLV, 19 appareat unum tantummodo fuisse, apud quem testamentum depositum esset. Rectius dixisset: τὰς μαρτυρίας τῶν παραγενομένων τῷ προσλήσει καὶ τὴν μαρτυρίαν παρ' οἷς κεῖνται αἱ διαθῆκαι, cum testimonium § 8 sit testimonium μαρτυρούντων τὴν πρόκλησιν (Att. Pr. p. 664.), testimonium § 19 eius, apud quem testamentum depositum esset. Oratorem autem illa minus accurata verborum coniunctione breviloquentiam quandam affectantem usum esse putaverim.

³ De argumento et connexu orationum XXXVI et XLV vide A. Schaefer l. c. p. 164. 170 sq.

⁴ l. c. p. 105 sq.

⁵ l. c. p. 106.

quidem negare videtur, arbitrum Tisiam privatum esse potuisse; cui nequaquam assentiri possum.

Etenim constat arbitrio publico facto rem denuo apud iudices appellatione interposita agi posse, non posse arbitrio privato facto.¹ Iam quoniam arbitrio facto (XLV, 17 ἐγίγνετο ἡ δίκιτα ἐν τῇ ποικίλῃ στοῖχῳ. § 60, ὅτε ἡνὶ ἀπόφασις τῆς δίκιτης Ἀπολλοδώρῳ πρὸς Φορμίωνα. vide etiam XXXVI, 18 οἰομαι δ' Απολλοδώρον . . . ἀπέρ παρὰ τῷ δίκιτητῇ λέγειν ἐτόλμα, ταῦτ ἔρειν. cf. § 33) nihilo minus causam apud iudices agi oratio XXXVI documento est, appareat hac in re de arbitrio privato cogitari non posse, sed Tisiam illum arbitrii publici munere functum esse.

Qua re patefacta iam ea, in quibus offendit West., examinemus. Primum viro illi doctissimo suspectum est quod arbiter Tisias Acharnenis pagi civibus attribuitur. Nempe cum Meierus,² sententia Hudtwalkeri³ refutata, exposuerit non fuisse Athenis legem, ut arbiter publicus ex ea tribu esset creandus, cuius civibus ipse quoque reus adscriptus esset, sed ita totum illud arbitrorum publicorum institutum fuisse comparatum, ut ex numero arbitrorum singulorum ex singulis tribubus quotannis creabundorum unicuique causae unus constitueretur, ratione nulla habita tribus, ex qua esset reus, — hoc loco, cum reus Apollodorus⁴ Acharnensis sit, Tisiam ipsum quoque Acharnensem induci mirum esse atque suspicionem movere additamentum illud pagi temere a falsario appositum esse. Sed, quaero, is arbiter, qui hanc ad causam disceptandam sorte creabatur, nonne forte Acharnensis esse potuit? Quod eo verisimilius est, quod si quidem pagus Acharnensis celeberrimus in Attica fuit,⁵ haud minima pars arbitrorum quotannis ex hoc pago creanda erat.

¹ M. H. E. Meier. Privatschiedsrichter u. d. öffentl. Diäteten. Halle 1846. p. 6. 27.

² l. c. p. 23 sq.

³ Ueber öffentl. u. Privatschiedsrichter. Jena 1812. p. 72.

⁴ Falso West. Stephanum reum, Appollodorum accusatorem esse contendit, siquidem testimonium illud, ut supra aperuimus, spectat ad orat. XXXVI, ex qua a Phormione adversus Appollodorum παραγραφήν, quam Graeci dicunt, interpositam esse discimus.

⁵ Thuc. II, 20,4. 21,3.

Ceterum quoniam Meierus ipse explanavit hunc arbitrum publicum prioribus quidem temporibus sorte, Demosthenis autem aetate ab ipsis inter quos lis esset creatum esse, quid probabilius est quam, cum reus Acharnensis fuerit, arbitrum ipsum quoque ex eodem pago esse constitutum? Meierum autem hac de re recte iudicasse primum lexiko Harpocrationis comprobatur; legimus quidem s. v. διαιτηται: οι διαιτηται πρέτερον κλήρῳ λαχόντες ἢ ἐπιτρεψάντων αὐτοῖς τῶν κοινουμένων διήτουν, ex quibus verbis non sane prorsus clavis id haud dubie colligendum videtur non semper eandem sed aliam aliis temporibus arbitrorum constituendorum rationem habitam esse atque primo eos sorte esse creatos, quod item Pollux¹ verbis ἐπεκληροῦντο αὐτοῖς αἱ διαιται tradit, tum ab litigantibus ipsis constitutos esse. Quod ipsum etiam ex Demosthenis ipsius verbis intellegi existimo. Nam ut mittam testimonium ex Midianaē § 93 petitum οἴδαμεν Δημοσθένην φίλον μαρτυροῦμεν καὶ Μειδίαν ἔλομένους διαιτητὴν Στράτωνα, quod parum prae se fert auctoritatis,² ex orat XL, 16, ubi legimus: παραγγρα-ψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὃν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις colligere possumus optione litigantium arbitrum esse constitutum. Arbitrum autem illum Solonem cum Meiero³ publicum fuisse contendeo; quod inde concluditur quod Solone mortuo novum arbitrum denuo videamus esse publicum; nam legimus § 17 ἀπεδιήτησέ μου ὁ διαιτητὴς καὶ οὗτος . . . οὔτε ἐφῆκεν εἰς τὸ δικαστήριον, cum appellationem arbitrio privato facto omnino fieri non potuisse supra demonstraverimus.

Neque pugnare cum nostra sententia id videtur quod § 24, ubi denuo recitatur testimonium, tantummodo nomen Tisiae sine pagi additamento, scriptum invenimus. Nam hoc me iudice non minus quam nomina ipsa in fronte huius § suo iure orator omittenda esse putavit, cum non tam nomina singula quam rem ipsam, quam testati erant testes, in primis ipsius interesset in memoriam iudicum revocare.⁴

¹ Onomast. VIII, 126. ² West. De lit. inst. in Mid. p. 12.
³ I. c. p. 25. ⁴ vide quod supra, p. 8 de Phormionis Piraei nomine adnotavimus. Ad nomina in fronte § 24 omnino omissa cf. Wachholtz I. c. p. 11. Idem cadit in § 60 et § 65.

At legimus § 17 arbitrium factum esse ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ. Quoniam autem in orat. XLVII, 12 proditum est οἱ γὰρ τὴν Οἰνηίδα καὶ τὴν Ἐρεχθίδα διαιτῶντες ἐνθωῦτα (ἐν τῇ ἡλιαίᾳ) κάθηνται¹ quandoquidemque pagus Acharnensis attributus est tribui Oeneidi, mirum videtur Westermanno non in Heliae sed in porticu illa arbitrium habitum esse. Quae difficultas nescio an facillime tollatur, si reputamus tale quid, quod orat. XLVII, 12 traditur, saepissime onmino fieri nequissimum. Nam si iudicium in Heliae agebatur, num omnino tum arbitrium fieri potuisse putas? Itaque quod nobis loco illo traditur magis morem quam legem Athenis fuisse iudico. Si igitur certa loca et definita erant vacua, arbitrum ibi cum litigantibus convenisse putaverim, si minus, in porticibus vel sub divo arbitrium factum esse. Stoam poecilē autem saepe numero his arbitriis occupatam fuisse veri simillimum est. Nam cum iudicia omnia fere in foro sita esse existimandum sit² et porticus illa ipsa quoque proxime posita esset, arbitris si iudicia occupata offenderant, facillimum erat in porticum confugere. Quam in sententiam, si quid video, etiam Harpocrationis verba optime quadrant dicentis s. v. Διαιτηταί: εἰσὶ δὲ οἱ διαιτηταὶ ἔτεροι τῶν δικαστῶν. οὗτοι ἐν δικαστηρίοις ἐδίκαζον ἀποδεδειγμένοις καὶ τὰς ἀπὸ τῶν διαιτητῶν ἐφεσίμους ἔκρινον. οἱ δὲ διαιτηταί... Iam non pronunciatur, ubi arbitri arbitria faciant, sed quoniam iudices et arbitri inter se opponuntur et affirmatur iudices certis locis iudicium agere solere, effici videtur non idem cadere in arbitros. Etiam apud Isocratem³ simili modo iudices et arbitri seiunguntur, apud quem

¹ Num τὴν Οἰνηίδα καὶ τὴν Ἐρεχθίδα διαιτᾶν significet arbitrum esse ex tribu Oeneide et Erechtheide, ut disputant Meierus p. 25 et Westermannus p. 105, cum volgo διαιτᾶν τι ostendat arbitrum esse in aliqua re, (cf. Schol. Dem. ad XXI, 83 τὰ τῶν πολιτῶν διαιτᾶν) dubito. Nam quod arbiter Πυθόδωρος ex pago Κηδοί, tribui Erechtheidi adscripto, est non multum probat; scilicet cum non aperiatur, ex quo pago litigantes apud arbitrum sint, hac de re certum iudicium facere non poterimus, quoniam ii ipsi quoque ex pago Κηδοί esse possunt. Sed interim, donec certiora argumenta proferantur, illa sententia acquiescamus.

² Schoemann. opusc. I, p. 130 sq. — von Willamowitz-Möllendorf. Phil. Unt. I, p. 91.

³ XV, 38.

legimus: ἐμὲ δὲ οὐδεὶς πώποθ' ἔωρακεν οὐτ' ἐπὶ τοῖς δικαιστηρίοις οὔτε πρὸς τοῖς διαιτηταῖς.

Quibus expositis forsitan confitendum est, id quod Westermannus protulit non tanta esse gravitate, ut testimonium, de quo quaerimus, fictum esse putemus. Quoniam autem ex tribus nominibus due titulis nobis tradita sunt, res quin ita se habeat, omnino dubitari nequit. Etenim in libro Boeckhii de tabellis rei navalis Atticae legimus:¹ συντρι[ή]ρχο[α]ι Καλλικλῆς Παιανιεὺς [Σ]τέφανος Ἀχαρ[εύς]. Qui titulus cum ad annum ol. 114, 3/321 referendus sit, rectissime Boeckhius² statuit Stephanum illum eundem esse qui apud Demosthenem hac in oratione commemoratur. Nam quamquam anno ol. 108. 1/348, quo oratio adversus ipsum habita est,³ ei iam erat filia in matrimonium data⁴ ideoque eum fortasse quadraginta vel quinquaginta annos natum esse censemus,⁵ tamen, cum ex eodem loco appareat, eum usque ad illud tempus nullam liturgiam praestitisse, non mirandum est quod sexaginta vel septuaginta annos natus trierarchiam facere coactus est; quod a rerum natura non abhorrire cum aliorum tum Isocratis exemplo evincitur, quem anno ol. 106. 1/356 ad trierarchiam faciendam propositum esse atque anno ol. 106. 3/354 re vera praestitisse constat.⁶ Vides igitur me ex contrario atque Westermannum argumentari, cuius sententia non veri simile esse Apollodorum, cum usque ad quinquagesimum aetatis annum nihil praestitisset, tantopere provectum aetate λειτουργίαν fecisse, mihi sane vehementer languere videtur. Addere mihi praeterea liceat etiam in titulis ex aetate Romana Stephanos Acharnenses iterum ac saepius reperiri;⁷ unde colligitur hoc nomen in pago Acharnensi fuisse usitatissimum.

¹ XVII a 29. 30. p. 564 sq.

² I. c. p. 250.

³ Blass I. c. p. 410.

⁴ Dem. XLV, 66.

⁵ vide West. I. c. , qui idem fere hac de re iudicat, aetate Apollodori, qui natus est anno ol. 96. 3/394 (XLVI, 13. XXXVI, 22) et Stephani comparata.

⁶ Böckh. I. c. p. 182.

⁷ C. I. A. III, 1 78 Στίανφος Εὐπόρου Ἀχαρνεύς C. I. A. III, 1 1153 . . . τιῶν Στεφάνου Ἀχαρνεύς.

Alterum nomen, quod titulo fulcitur est nomen secundi testis Endii Lamptrensis. Apud Boeckhium¹ enim legimus: Κριτό[δ]ημος Ἐνδίου Λαμπτρεύς. Quae inscriptio quoniam anno ol. 113. 4/325 tribuenda est hunc Critodemum filium fuisse Demosthenici illius Endii veri simillimum est. — Ex tempore posteriore, fortasse ex anno 200 a. Chr.², scribac nomen Epigenis inscriptione traditum est, cui forsitan aliquam necessitudinem cum teste illo Demosthenico fuisse coniicere licebit.

2. De testimonio § 19.

ΜΑΡΤΤΡΙΑ. Κηφισοφῶν Κεφαλίωνος Ἀφιδναίος μαρτυρεῖ καταλειφθῆναι αὐτῷ ὑπὸ τοῦ πατρὸς γραμματεῖον, ἐφ' ᾧ ἐπιγέγραφθαι διαθήκη Πασίωνος.

Praeter Stephani sociorumque eius testimonium in orat. XXXVI, 7 etiam Cephisophontis, penes quem testamentum depositum erat, recitatum esse testimonium iam supra aperimus; cuius argumentum hic subesse videmus.

Cephisopontis Aphidnaei nomen exstat apud Boeckhium ter. Atque ex primo loco³ Cephisophontem quendam una cum Phocione classi Byzanthinis anno ol. 110. 1/340 missae praefuisse cognoscimus. Altero loco⁴ scriptum invenimus haud ita multo ante annum ol. 113. 4/325, cui tribuenda tabella est, expeditioni in Scyathum Cephisophontem Aphidnaeum praefectum fuisse; tertio loco⁵ Cephisophon Aphidnaeus in numero eorum trierarchorum commemoratur, qui intra annos ol. 108. 4/345 et 109. 3/342 pecunias solverint debitas.⁶ Iam cum Boeckhius statuerit haud dubie non solum his tribus locis eundem intellegendum esse Cephisophontem sed etiam hoc loco Demosthenico, Westermannus huic sententiae adversatur, quoniam nomine patris in titulis omissis nihil certi possit effici. Sed quid? si vel illud ultimum refugium et

¹ l. c. XIV a 3 p. 452.

² C. I. A. II, 1, 408 v. 2. Ἐπιγένης Λαμπτρεύς ἐγραμμάτευε.

³ l. c. XIII c. 100 p. 442. Tabula ipsa anno ol. 113. 1/328 tribuenda est. vide p. 419.

⁴ l. c. XIV. c. 10 p. 480.

⁵ l. c. X b 115. p. 373.

⁶ C. I. A. II, 1 114. c. 6.

deverticulum tollitur, si etiam nomen patris, quod tantopere a Westermanno desideratur, nobis inscriptione traditur? Legimus apertis verbis in titulo,¹ anno huius saeculi sexagesimo fere reproto: ἐπὶ τῷ θεωρικῷ

Κηφισοφῶν Κεφαλίωνος Ἀφιδναῖος. Qui titulus cum ad annum ol. 109 2/343 referendus sit, tempus et huius orationis et cui inscriptiones supra commemoratae tribuenda sunt respicientes, iam confitebimur manifestum esse eundem hominem omnibus locis significari neque quidquam iam esse, quod contra huius instrumenti fidem proferri possit.

Addere mihi praeterea liceat etiam in oratione Demosthenis in Neaeram Cephisophontis Aphidnaei mentionem fieri, quem quod coniciamus eundem esse atque hunc in oratione adversus Stephanum memoratum non nihil esse existimo.² Cuius in orationis § 9 sq. quoniam narratur Apollodorum, cum aliquando in pagum Aphidnaeū venisset ad servum fugitivum investigandum, feminam quandam ita verberasse, ut moreretur, ob eamque catasam a Cephisophonte aliisque in iudicium vocatum esse, — et pagus Aphidnaeus, ex quo Cephisophontem illum fuisse ex § 9 effici videtur et tempus orationis in Neaeram sc. annus circa ol. 114/340,³ non multo ante quem narratam rem iudicandum est factam esse, huic sententiae consentanea sunt.

Paucula denique mihi de nomine Cephalionis addenda sunt. Quod enim et in titulo novissimo et in reliquis, ubi nomen **Κεφαλίων** exstat, hanc scribendi rationem adhibitam esse invenimus, cum apud Demosthenem **Κεφάλωνος** extet, non tanti faciendum esse puto, cum West.⁴ rectissime explanarit nomina terminantia in ον et ιων tum hoc tum illo modo scripta esse. Hoc loco sane ex titulo illo comperimus rectius nomen testis Demosthenici per ι scribendum esse.

3. De testimonio primo § 24 denuo recitato.

De partiuncula testimonii primi § 24 sq. rursus prolata, praeter ea, quae p. 24 huius disp. monuimus, hoc animad-

¹ C. I. A. II, 1, 114. c. 6.

² West. l. c. p. 109.

³ Blass l. c. p. 477.

⁴ p. 108.

vertere liceat, unicum esse hac in oratione illud testimonium, cuius argumentum etiam codice Σ exhibetur. Iam comparantes unicum instrumentum orationis XXXV, codice Σ servatum,¹ cum hoc, utrumque verbis oratoris interrupi videmus et magis quam alias huiusmodi formulas cum verbis ipsis oratoris cohaerere. Itaque concludere non alienum videtur reliquas formulas a librario codicis Σ omissas esse, cum non magni momenti ad orationem ipsam intellegendam esse putaret.

4. De testimonio § 55.

MAPTTPIA. Δεινίας Θεομνήστου Ἀθμονεὺς μαρτυρεῖ τὴν θυγατέρα αύτοῦ ἐκδοῦναι Ἀπολλοδώρῳ κατὰ τοὺς νόμους γυναικαὶ ἔχειν, καὶ μηδεπώποτε παραγενέσθαι, μηδὲ αἰσθέσθαι ὅτε Ἀπολλοδώρος ἀφῆκε τῶν ἐγκλημάτων ἀπάντων Φορμίωνα.


Quoniam orator in antecedentibus §§ (53 sq.) dixit Stephanum ne cognitionis quidem rationem habuisse sed quamvis mater istius esset soror Dinia, id est patris uxor ipsius sc. Apollodori,² neque veritum esse falsum testimonium proferre et Phormionis divitias pluris aestimasse quam cognitionis vincula, — iam scribam compellit, ut Diniae testimonium referat.

Quibus praemissis duas res testimonio firmatum iri expectamus, primum Stephano cum Apollodoro necessitudinem illam intercedere, tum Stephanum falsa testatum esse adversus Apollodorum.

Quorum alterum fieri videmus; nam ex eo quod dicit Dinas se in matrimonium dedisse filiam Apollodoro, cognitionis ratio optime explicatur. Iniuria enim West. desiderat, ut etiam a Dinia explanetur ipsum esse fratrem matris Stephani. Nam, quod videam, cum orator § 54 dixisset: ἔστι γάρ οὐ

¹ Ad hoc cf. huius disp. p. 33.

² Ad rem melius intellegendam stemma appono:



τούτου μήτηρ καὶ ὁ τῆς ἐμῆς γυναικὸς πατὴρ ἀδελφοί, de huius rei veritate iam nemini dubitandum erat. In testimonio autem ideo Dinas se ait patrem esse uxoris Stephani, ut quisnam omnino sit aperiat; nam hoc nisi fecisset, quoniam tantummodo antecedunt verba λαβὲ τὴν μαρτυρίαν τὴν Δεινίου . . . καὶ κάλει Δεινίαν, nemo iudicū Diniam, cuius nomen ante hanc § non est commemoratum, ipsum illum esse, qui quasi vinculum totius cognitionis esset inter Apollodorum et Stephanum, divinare potuit.

Alterum, quod in instrumento prolatum iri exspectamus sc. Diniam testificaturum esse Stephani testimonium falsum fuisse, non extare videmus; loco huius sententiae videmus Diniam testantem „se nunquam adfuisse neque audivisse Apollodorum liberasse Phormionem omni criminacione.“ Iam quoniam ex ea, quae sequitur, § concluditur Diniam noluisse adversus Stephanum cognatum vera testari, fortasse quomodo Apollodorus adductus sit, ut tale testimonium afferret, coniectura assequi possumus. Etenim cum Apollodorus a socero petiisset ut testaretur contra Stephanum sociosque eius, quorum pravitate ipsum tantis malis obrutum esse queritur,¹ Diniam cognitionis vinculo cum Stephano coniunctum respondisse conieco, contra reliquos testes lubenter se esse testaturum, non se testaturum adversus Stephanum; itaque, quanquam testimonium Dinia vel potius posterior pars testimonii hanc in causam omnino non cedit, sed in causam, quam in reliquos testes orator suscepturus erat,² iam nullo alio testimonio imperato, oratorem illud in ipsam adversus Stephanum orationem inserere coactum, totius rei connexum ita comparavisse putarim, ut quodammodo utilitatem quandam ex eo caperet. Et hoc ab eo scite et artificiose institutum esse confitendum

¹ § 5. ἔπειτα μάρτυρας, ὡς ἀφῆκα αὐτὸν τῶν ἐγκλημάτων, παρέσχετο ψευδεῖς.

² § 7. περὶ μὲν δὴ τῶν ἄλλων τῶν μεμαρτυρηκότων, ὅταν πρὸς ἐκείνους εἰσίω, τότε ἐριῶ.

§ 40. τὴν γαρ δίκην, ἐν ᾧ ταῦτα ἐμαρτυρίθη, παρεγράψατο Φορμίων πρὸς ἐμὲ μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι ὡς ἀφέντος ἐμοῦ τῶν ἐγκλημάτων αὐτόν. τούτο τοινού ἐγὼ μὲν οἶδα ψεῦδος ὅν, καὶ ἐλέγξω ὅταν εἰσίω πρὸς τοὺς ταῦτα μεμαρτυρηκότας.

est; nam Dinia et Stephano inter se oppositis, quanta esset iste pravitate et nequitia clarissime explanabatur.

Habes meam hac de re sententiam, quae si quid video, a rerum natura et condicione non videtur aliena esse.

Denique non videtur silentio praetermittendum esse nomen Dinia, Theomnesti filii, oratione Demosthenica firmari, si quidem ex orat. LIX, §§ 2 et 16 inter se comparatis colligitur oratorem prioris partis orat. LIX Theomnestum filium fuisse Dinia; unde haud scio an efficiatur avum illius Theomnesti atque Theomnestum in testimonio supra commemorato (*Δεινίας Θεομνήστου*) eundem fuisse hominem.

5. De testimonio § 6o.

MAPTTPIA. Μαρτυροῦσι φίλοι εἶναι καὶ ἐπιτήδειοι Φορμίωνι, καὶ παρεῖναι πρὸς τῷ δικαιητῇ Τεισίᾳ, ὅτε ἣν ἀπόφασις τῆς δικίτης Ἀπολλόδωρῳ πρὸς Φορμίωνα, καὶ εἰδέναι τὴν μαρτυρίαν ὑψηρημένον Στέφανον, ἣν αἰτιάται αὐτὸν Ἀπολλόδωρος ὑφελέσθαι.

Huic et insequenti testimonio West. ideo in primis obelum apposuit quod nomina testium in fronte non exstant. Qua de re idem dicendum est, quod iam saepius hac in disputatione monitum est,¹ scilicet non ab eo, qui composuit orationem, sed a librario quodam, cum ad rerum contextum intellegendum nullius momenti esse existimaret, nomina illa omissa esse. Ineptissime igitur Westermannum disputare iudico verba facientem: „Hier und bei den beiden folgenden Aussagen hat der Verfasser sich gar nicht die Mühe genommen die Namen der Zeugen zu erfinden,“ quasi falsario illi — ut quidem Westermannus vult — tanti sudoris et laboris fuisse, cum tot nomina ementitus esset, etiam reliquis instrumentis testium nomina affingere!

Mirum porro videatur quod testes inducuntur amici Phormionis, quos contra illius salutem testatueros esse sc. Stephanum testimonium, quod quaeritur, surripuisse haud veri simile esse fortasse quispiam dicat. Sed quis, quaero, non

¹ vide huius disp. p. 24 not. 4.

videt et hoc et quod sequitur testimonium ab Apollodoro ficta esse? Notum enim et tritum erat artificium in iudiciis Atticis,¹ actorem, testibus deficientibus, rem aliquam testimonio allato pro certo affirmare solitum esse et quamvis sciret illos esse iuraturos rem non ita se habere, tamen verbis speciosis et captiosis² rem ita apud iudices conformare, ut animos illorum sibi conciliaret. Iam Apollodorus cum ipsi nemo fuerit, qui rem § 57 sq. commemoratam — quae num ita se re vera habuerit vehementer dubito — testaretur, qua est audacia et impudentia, ut scilicet res eo magis speciem veri prae se ferre videatur, aequo animo contendit ipsos amicos Phormionis ipsi testes adfuisse! Qui profecto, si semel mentionandum ipsi erat, utrum maius an minus mendacium proferret nihil interesse ratiocinabatur.

Etiam id, quod ipso die arbitrii (§ 60 ὅτε ἦν ἀπόφασις τῆς διαιτησί) testes ad iusiurandum adigebantur et audiebantur, quod ex § 58 concluditur, Westermanno offensioni est. Quod Athenis haud inauditum fuisse quoniam a Schoemann³ patet factum est, exemplo ex or. XLIX, 19 allato,⁴ cur non hoc loco aliquid simile factum esse censemus, cur non hic quoque testem illum vel illa de causa, quominus prius quam ipso arbitrii die apud arbitrum praesto esset, impeditum esse iudicabimus? Ceterum reputandum est, quod iam supra paucis attigi, veri esse simillimum totam illam fabulam de surrepto testimonio ab Apollodoro fictam esse atque ab isto verba illa § 58: πρὸς μαρτυρίαν τινά, οὐ' ἔξορκώσαμι, ἀναστάτως ἐμοῦ inconsidere nullaque ratiocatione facta addita esse, ut omnino quomodo furtum illud fieri posset, iudicibus explanaretur.

¹ Att. Pr. p. 672.

² vide § 58. οὐ γὰρ ἔξομνύναι ἐθελήσειν αὐτοὺς οἴμαι. § 59. Εἰν τοῦτο ποιήσωσιν ύπ' ἀναιδείας. § 61. οὐκ ἀδηλον ἦν ὅτι τοῦτο ἔμελλον ποιήσειν, προθύμως ἔξομεῖσθαι.

³ Att. Pr. p. 678.

⁴ τοῦ μὲν γὰρ μαρτυρίαν με ἐμβαλέσθαι πρὸς τὸν διαιτητὴν παρεκρούσατο φάσκων ἀεὶ μαρτυρήσειν εἰς τὴν κυρίαν ἀπόφασιν. ἐπειδὴ δὲ ηδίαιτα ἦν, προσκληθεῖς ἀπὸ τῆς οἰκίας ἐλίπε τὴν μαρτυρίαν.

6. De testimonio § 61.

МАРТТРИА. Μαρτυροῦσι παρεῖναι, ὅτε Ἀπολλόδωρος προύχαλεῖτο Στέφανον παραδοῦναι τὸν παῖδα τὸν ἀκόλουθον εἰς βάσανον περὶ τῆς ὑφιερέσεως τοῦ γραμματείου, καὶ γράμματα ἣν ἔτοιμος γράψειν Ἀπολλόδωρος, καθ' ὅτι ἔσται ἡ βάσανος. ταῦτα δὲ προκαλουμένου Ἀπολλοδώρου οὐκ ἐθελῆσαι παραδοῦναι Στέφανον, ἀλλὰ ἀποκρίνασθαι Ἀπολλοδώρῳ δικαίεσθαι, εἰ βούλοιτο, εἴ τι φησιν ἀδικεῖσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ.

ΠΡΟΚΛΗΣΙΣ.

Hoc in instrumento Westermannus nihil vituperat nisi quod, cum orator verba fecerit λαβέ μοι ταῦτην τὴν μαρτυρίαν καὶ τὴν πρόκλησιν, iam in libris lemmata legantur: **МАРТТРИА. ПРОКЛΗСИС**, iis autem, quae secuntur, verbis tantummodo **МАРТТРИА** contineatur. Cui vitio quomodo medela pararetur, ipse Westerm. viam monstravit. Etenim quoniam vidimus a librariis lemmata instrumentorum semper accurate verbis oratoris esse accommodata,¹ sine dubio librarii negligentia factum est, ut lemma **ПРОКЛΗСИС**, cuius argumentum iam pridem omissum erat, iuxta lemma **МАРТТРИА** poneretur, cum necessario post argumentum testimonii ei locus esset; quod hucusque editores facere omisisse valde miror. Nam in eo minime haesitandum est quod alterius formulae argumentum exhibetur, alterius non item; non enim, ut West. disputat, unicum hac in oratione instrumentum est, cuius argumentum non inveniamus, cum etiam argumentum **ЕΩМОΣΙΑΣ**, quam ipsam quoque fortasse librarius parum ad rem pertinere existimavit, non receptum esse videmus.

De forma huius testimonii monendum est magnam ei similitudinem intercedere cum alio testimonio, item ad provocationem pertinenti, quod in orat. LIX § 123 exstat. Quod ipsum cum ad auctoritatem maximo sit momento cumque insuper ne Westermannus quidem habeat, quod contra fidem aut huius aut illius² instrumenti, si quidem prorsus legitimo ordine recitantur, proferat, — de neutrius iam erit genuina origine dubitandum.

¹ cf. p. 6 huius disp.

² I. c. p. 129.

II. De antigrapha.
ΑΝΤΙΓΡΑΦΗ.

Απολλόδωρος Πασίωνος Ἀ-
χαρνεὺς Στεφάνῳ Μενεκλέους
Ἀχαρνεῖ ψευδομαρτυριῶν· τίκη-
μα τάλαντον. τὰ ψευδῆ μου
κατεμαρτύρησε Στέφανος μαρ-
τυρήσας τὰ ἐν τῷ γραμματείῳ
γεγραμμένα.

Τάληθη ἐμαρτύρησα μαρτυ-
ρίσας τὰ ἐν τῷ γραμματείῳ
γεγραμμένα.

De huius formulae scribendi ratione ad apparatus criticum G. H. Schaeferi¹ lectorem remisisse satis habeo.

De auctoritate autem, de qua sicut de inequentium instrumentorum nemo hucusque, quod sciam, quaestionem instituit, eam ob causam haud facile est iudicium facere, quoniam unica est haec antigrapha, quae aetatem tulit; nam formulam illam Hyperideam, cuius Harpocration² etiam tum mentionem init, non ad nos pervenisse vehementer dolendum est. Tamen, si minus altera antigrapha, certe huic instrumento tria simillima adhuc exstant, ita ut fortasse comparatione facta et ratiocinatione adhibita ad aliquam iudicii probabilitatem in fide diiudicanda pervenire nobis contingat.

Atque primo loco actionis formula ex oratione Dinarchea adversus Proxenum habita a Dionysio Halicarnasseo³ nobis tradita est, cuius verba maxime ad rem spectantia exscribam: Δεῖναρχος Σωστράτου Κερίνθιος Προξένῳ ὡς σύνειψι βλάβης τα-
λάντων δύο. ἔβλαψέ με Πρόξενος ὑποδεξάμενος εἰς τὴν οἰκίαν τὸν
ἔχυτον..... De fide huius fragmenti, quod non orationi ipsi insertum, sed ipsum quoque instrumentum fuisse ex Dionysii verbis: προσκειμένην δὲ ἔχει τὴν γραφὴν ταύτην colligimus, primum quoniam a iudice illo nobilissimo antiquitatis tanquam genuinum affertur, dubitari non potest, quanquam profecto offensionem aliquam habet, Proxeni nomini in formula addita esse pro significatione patris pagique, — quod in omnibus fere eiusmodi instrumentis factum esse videbimus — verba ὡς σύνειψι. Tum, si quidem mox inveniemus tantopere inter se consentire hanc formulam et Demosthenicam,

¹ V. p. 184.

² s. v. Ἀντιγραφή.

³ V. p. 635 R.

potius profecto iudicandum erit utramque genuinam esse quam utramque fictam: Nam duobus locis diversis duas formulas tam similes et ad eandem fere rem pertinentes fingi potuisse, nemo prudens sibi persuadebit.

Deinde commemoranda est accusationis formula Meleti adversus Socratem, apud Laertium Diogenem¹ servata: Τάδε ἐγράψατο καὶ ἀνθωμολογήσατο Μέλιτος Μελίτου Πιτθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσου Ἀλωπεκῆθεν. ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν τὸ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων τίμημα θάνατος.

Denique iocosum illud accusandi instrumentum in causa istorum canum ab Aristophane² memoratum in medium proferre iuvat:

ἐγράψατο
κύων Κυδαθηναίεύς Λάβητ Ἀἰξωνέα
τὸν τυρὸν ἀδικεῖν ὅτι μόνος κατήσθιεν
τὸν σικελικόν. τίμημα κλωδὸς σύκινος,

quo poetam sollemnem actionis formulam imitatum esse coniuncte licebit.

Iam his tribus formulis³ et antigrapha Demosthenica inter se comparatis, inter omnes aliquam intercedere videmus similitudinem, maxime autem ad unum schema, ut ita dicam, conformatas esse formulas Demosthenicam et Dinarcheam. Ac primum quidem utroque loco invenimus nominativum accusatoris dativo rei sine verbo iungenti appositum. Quo loco voces δίκην λαγχάνειν supplendas esse in aperto esse iudico, quas etiam in Dinarchi verba ταλάντων δύο quadrare videmus; nam δίκην λαγχάνειν non solum genetivo criminis sed etiam genetivo multae subiungi, locus Demosthenicus in orat. LIX,98 docet, ubi legimus: λαγχάνουσι δίκην τοῖς Λακεδαιμονίοις χιλίων ταλάντων ὑπὲρ τῶν συμμάχων. Ceterum census notationem per se poni sóllemnius fuisse ex Dem., Laert. D., Aristoph. locis supra memoratis patet. Porro apud Demosthenem et apud Dinarchum grammatica ratio in accusandi vocibus mirum in modum inter se conspirat: Criminis enim nomine notato

¹ II,19.

² Vesp. v. 894.

³ Accusationis instrumentum, quae in Dem. or. de corona § 54 exstat cuique Schoemannus (Alt. Pr. p. 606) tantum ponderis tribuit, ficticium esse supra (p. 1) commemoravi.

(Dem.: ψευδομαρτυριῶν. Din.: βλάβης), id quomodo factum sit apud utrumque prorsus eodem modo sc. per aoristum verbi primarii addito participio aoristi (Dem.: κατεμαρτύρησε... μαρτυρήσας. — τὰληθῆ ἐμαρτύρησα μαρτυρήσας. Din.: ἔβλαψε... ὑποδεξάμενος) exprimi videmus.

Quodsi vel hac efficitur comparatione hanc fuisse in talibus formulis temporum grammaticorum rationem, iam antigrapha Demosthenica cum verbis ipsis oratoris (§ 45) collata, illud ipsum consentaneum esse edocemur. Etenim in ipsius orationis contextu tempus perfectum (ἀληθῆ μεμαρτύρηκε — μαρτυρήσας) exstat; atqui si falsarius hanc formulam composisset, tempus grammaticum formulae sine dubio tempori, quod exstat in orationis ipsius contextu, accommodasset; quod cum non factum inveniamus, genuinam nobis hanc antigrapham traditam esse censebimus.

Similem in modum atque haec duae formulae ἀντωμοσία in causa adversus Socratem conformata est. Quo loco cum verbum ἀνθομολογεῖσθαι exstet, num in ipsa actione simplex nominativus dativo appositus fuerit, diiudicari vix potest. Ceteroquin ratio accusandi plane cum accusationis ratione apud Demosthenem et Dinarchum congruit, nisi quod tempus praesens addito participio praesentis (ἀδικεῖ νομίζων) pro aoristo reperitur.

Festivum denique accusandi instrumentum apud Aristophanem servatum, qua in sollemnem accusationis rationem iocatum esse poetam existimandum est,¹ maxime a tribus exemplis hucusque examinatis abhorret neque quidquam habet commune nisi usum census in fine actionis: Non ut in prioribus exemplis accusandi verbum aut prorsus omissum aut — ut apud Lacrt. D. verbum ἐγράψατο — per se positum est, sed quae illic exprimuntur enuntiatio primario, hic pendent a verbo accusandi ἐγράψατο; porro delictum commissum, non participio significatur sed particula ὅτι. Itaque ego iis assentiri nequeo, qui his versibus sollemnem contineri iudicent accusandi apud Atticos rationem; immo tribus formulis prioribus perpensis et inter se comparatis, illis maxime genuinum actionis exemplum exhiberi nobis statuerim.

¹ vide p. 35.

III. De testamento § 28.

ΔΙΑΘΗΚΗ. Τάδε διέθετο Πατέρων Ἀχαρνεύς: δίδωμι τὴν ἐμκυτοῦ γυναικὸν Ἀρχίππην Φορμίωνι, καὶ προῖκα ἐπιδίδωμι Ἀρχίππη τάλαντον μὲν τὸ ἐκ Ηπειρήθου, τάλαντον δὲ τὸ κύ-
τόθεν, συνοικίκιν ἔκατὸν μνᾶν, θεραπαίνας καὶ τὰ χρυσία καὶ
τὰλλα ὅσα ἔστιν αὐτῇ ἔνδον. ἀπαντα ταῦτα Ἀρχίππῃ δίδωμι.

Huius instrumenti quoniam magna pars ipsis oratoris verbis, hanc formulam excipientibus,¹ repetitur itaque facile quispiam adducatur, ut existimet paucis additis hoc testamentum a falsario nullo negotio in contextum inculcari potuisse² — quae opinio saepe a Westermanno eiusque sectatoribus prolata absurdissima est, si quidem nihil naturae rerum magis respondet quam oratorem expressis verbis ad instrumenta, summam argumentandi continentia, recurrere denuoque illa repetere — iam examinantibus fidem huius testamenti in ea maxime erit inquirendum, quae non ab oratore in orationis tenore commemorantur.

Atque primum si quaerimus de verbis in initio positis, quoniam prorsus eadem in testamentis a Laertio Diogene allatis exstant, quin ingenio atque indoli antiquitatis plane congruentia sint, dubitare omnino nequimus; legimus enim in testamento Platonis:³ τάδε κατέλιπε Πλάτων καὶ διέθετο, in Aristotelis:⁴ τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης.⁵ Porro, comparantes formulam cum oratoris verbis, voces ἐπιδίδωμι et ἔνδον in formula singularia esse videmus. Quibus si apponemus voces ad testamentum spectantes ex oratione Lysiaca:⁶ διαθήκην αὐτῷ δίδωσι . . . ἐπέσκψε δὲ, ἐάν τι πάθῃ, τάλαντον μὲν ἐπιδοῦναι τῇ γυναικὶ καὶ τὰ ἐν τῷ δωματίῳ δοῦναι, hanc conspirationem non fortuitam esse, sed certas quasdam notationes et significaciones, talibus formulis proprias, in usum

¹ . . . τὸ πλῆθος τῆς προικός, τάλαντον ἐκ Ηπειρήθου, τάλαντον αὐτό-
θεν, συνοικίκιαν ἔκατὸν μνᾶν, θεραπαίνας καὶ χρυσία, καὶ τὰλλα, . . . ὅσα
ἔστιν αὐτῇ, δίδωμι.

² cf. hui. disp. p. 15.

³ Laert. D. III, 41.

⁴ Laert. D. V. II.

⁵ cf. testamentum Theophrasti D. L. V. 51.

⁶ XXXII, 5. sq.

venisse existimabimus. Etiam molesta illa repetitio verbi δίδωμι, quae in testamento Pasionis occurrit, in his instrumentis usitata videtur fuisse; apud Lysiam quidem l. c. hoc factum videmus et apud Laertium Diog. in testamento Lyconis,¹ ubi verbum δίδωμι septies omnino repetitur ac maxime § 73: καὶ δύο μνᾶς αὐτῷ δίδωμι καὶ τὰ ἐμὰ βίβλια τὰ ἀνεγνωσμένα τὰ δ' ὅπως ἔκδῳ. δίδωμι δὲ καὶ Σύρῳ ἐλευθέρῳ ἔντι τέτταρας μνᾶς καὶ τὴν Μηνοδώραν δίδωμι. Cum novissimis testamenti Demosthenici vocibus conferas si placet verba simillima apud Laertium D.²: τὰ μὲν οὖκοι ὑπάρχοντα πάντα δίδωμι Μελάντη et³: τὰ μὲν ἐν οὖκῳ πάντα δίδωμι ἀδελφοῖς.⁴

Paucis denique monuerim non offendendum esse in brevitate testamenti. Atque verba quidem oratoris si respicimus, hoc totum fuisse testamentum confitendum erit; sed quamvis petulantes et audaces fuissent adversarii Apollodori, vix credibile videtur eos protulisse testamentum, in quo filiorum Pasion omnino mentionem non fecisset. Quapropter existimo, ut maxime pateret impudentia adversariorum, Apollo-dorum, quem multa hac in oratione fingere et ementiri vide-mus, eam tantummodo partem testamenti recitari iussisse, in qua matris mentio facta esset. Non plenam et integralam esse formulam vel inde appetat, quod nomina curatorum, testium eiusque, apud quem depositum erat testamentum,⁵ omissa sunt.

IV. De tabulae locationis formula.

ΜΙΣΘΩΣΙΣ ΤΡΑΠΕΖΗΣ. Κατὰ τάδε ἐμίσθωσε Πασίων τὴν τράπεζαν Φορμίων: μίσθωσιν φέρειν Φορμίωνα τῆς τραπέζης τοῖς παισὶ τοῖς Πασίωνος δύο τάλαντα καὶ τετταράκοντα μνᾶς τοῦ ἐνικυτοῦ ἐκάστου, χωρὶς τῆς καθ' ήμέραν διουκήσεως μὴ ἔξειναι δὲ τραπέζιτεῦσαι χωρὶς Φορμίωνι, ἐὰν μὴ πείσῃ τοὺς

¹ L. D. V. 73.

² L. D. V. 51.

³ L. D. V. 69.

⁴ Vide etiam ad summam rerum testamentum Epicteti, quod volgo dicitur, quod Boeckhius insulae Theræ assignat. C. I. G. 2448.

⁵ Laert. D. V, 56.

παῖδες τοὺς Πατέρων. ὅφείλει δὲ Πατέρων ἐπὶ τὴν τράπεζην
ἔνδεκα τάλαντα εἰς τὰς παρακαταθήκας.

Plane idem quod de testamento moniums in hanc locationis formulam cadit. Itaque, quod item in testamenti fide examinanda fecimus, iis, quae et in hac formula et in orationis tenore inter se congruant,¹ omissis, ea perpendamus, quae in formula propria ac singularia leguntur, quae quidem per pauca sunt.

Atque in primis nobis de verbis in fronte collocatis dicendum erit. Circumspicientes enim alias huiusmodi formulas, hanc in talibus instrumentis praefationem illis, quae quaerimus, temporibus usitatam fuisse reperimus. In locationis titulo quidem anni ol. 120. 1/300, qui a. C. Weschero² editus est, legimus: Κατὰ τάδε ἔμισθωσαν Ἀντικαχος Ἀμφιάχου . . . τὸ ἑργαστήριον τὸ ἐν Ηειραιεῖ . . . Εὐκράτει Ἐξηκίου Ἀφιδναίω, et in inscriptione³ anni ol. 108. 4/345: κατὰ τάδε ἔμισθωσαν Αἰξωνεῖς τὴν Φιλαΐδα Αὐτοκλεῖ.⁴

Hoc fere unum est, quod in formula ipsa singulare inventur. Nam quod in hac vox χωρίς, in oratione autem ἀνευ legitur, nihil ad rem facit. Maioris fortasse momenti erit ad auctoritatem fulciendam quod in formula infinitivum aoristi τραπεζιτεῦσαι, in orat. §§ 32. 34. praesentis τραπεζιτεύειν extare invenimus. Nam quoniam in altera inscriptione paullo ante commemorata in plane eadem coniunctione (*μὴ ἔξειναι δὲ Αἰξωνεῦσι μῆτε ἀποδόσθαι*) tempus aoristum subesse videmus, forsitan concludendum erit hoc in sententiarum nexu, in his formulis usitato, tempori aoristo locum fuisse.⁵ Ceterum, quod in testamenti fide examinanda aperiūmus, hic quoque monitum velim, in aprico esse partem tantummodo huius formulae traditam esse.⁶ Desunt enim nomina testium vel potius sponsorum, qui sine dubio talibus formulis conficiendis adesse

¹ §§ 32 — 34.

² Revue archéol. 1866. XIV p. 352.

³ C. I. G. 93.

⁴ vide etiam C. I. G. 103. — C. I. A. II, 1. 167 v. 119.

⁵ cf. C. I. G. 2448. II. v. 11. μή ἔχετω εἴσουσίαν μηδεὶς μῆτε ἀποδόσθαι. — C. I. G. 2771. I. v. 14.

⁶ vide p. 17. hui. disp. not. 2.

debebant quorumque etiam in inscriptione a Weschero publicata expressis verbis (έγγυητής τοῦ ποιήσειν τὰ γεγραμμένα) mentio fit.

Quibus ita disputatis, cum testimonia, quorum auctoritatem Westermannus temere neque ira studioque vacuus impugnavisse videtur, tum reliqua harum orationum litis instrumenta si mihi contigerit, ut genuina esse patefacerem, non nihil me profecisse existimarim. Unum denique monuerim, quod Fr. Frankius¹ his de formulis examinandis profitetur, magnam hac in re adhibendam esse cautionem, ne quid cupidius faciamus temereque condemnando illas formulas magna nobis praesidia et instrumenta cognoscendae antiquitatis ipsi surripiamus.

¹ vide p. 1. hui. disp.

V i t a.

Natus sum Ioannes Ernestus Kirchner a. d. VII Kal. Nov. anni h. s. LIX Revali Esthonorum patre Iulio matre Molly e gente Koch, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus inde ab anno LXVII gymnasii St. Annae Petropolitani, quod patre carissimo directore hucusque floret, discipulus fui. Autumno anni LXXIV, Russia reicta, in numerum alumnorum scholae regiae Portensis receptus sum, cuius disciplina fructuosisima per quinque annos et sex menses usus sum. Maturitatis testimonio munitus vere anni LXXX, ut philologiae operam darem, Halas Saxonum me contuli. Autumno anni insequentis adii almam Musarum sedem Bonnensem, ubi cum duo semestria commoratus essem, Halas redii, qua in universitate usque ad hoc tempus versatus sum. Docuerunt me viri illustrissimi: Buecheler, Luebbert, Neuhaeuser, Usener Bonnenses; Dittenberger, Duemmler, Erdmann, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Krohn, Neumann, Schum Halenses.

Seminarii philologorum Halensis per unum, Bonnensis per duo semestria sodalis fui ordinarius. Ut in societatem philologicam reciperer, Keili benignitate mihi contigit. Praeterea Duemmler ad seminarium historicum me admisit, ut exercitationibus suis interessem palaeographicis et diplomaticis Schum, historicis Neumann benigne concesserunt. Quibus viris omnibus gratias ago debitas, in primis vero Dittenbergi, Hilleri, Keili semper grato pioque animo colam memoriam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

In libris III et IV Tusculanarum disputationum Ciceronem Posidonium Rhodium auctorem secutum esse contendo.

II.

Ar. Ran. V. 168:

‘τῶν ἐκφερομένων, οἵστις ἐπὶ τοῦτο ἔρχεται.’

temere ab Hamakero deletus est.

III.

Lys. or. XIX, 19 verba ‘καὶ Λυσίου’ mordicus in textu retinenda sunt.

IV.

Lys. or. XIX, 25 scribo:

‘ώστε παρ’ Ἀριστοφάνους λαβεῖν (cod. X ως Ἀριστοφάνη λαβεῖν) ἐκκαίδεκα μνᾶς ἐπ’ αὐτῇ.’

V.

Verg. Catal. III, 9 sq. (Baehr.) scriptura tradita:

‘tali mortalia nutu

Fallax momento temporis hora dedit.’
iniuria a Baehrenso aliisque tentata est.

